



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB.BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Gy. 10.

DISPUTATIO JURIDICA  
DE PRÆSTATIONE DOLI,  
CULPÆ ET NEGLIGENTIÆ IN  
CONTRACTIBUS : UBI NOVA SENTEN-  
TIA DEDUCITUR ET DEMONSTRATUR.

*Quam*

*In Antiquissima & Celeberrima Electorali  
Palatina*

SUB PRÆSIDIO

*Viri Nobilissimi, Consultissimi,*

DN. HENRICI COCCEII,

U. J. D. & in Laudata jam Univerſitate  
Juris Naturæ & Gentium Prof. Publ.  
Fautoris ſui nunquam non obſervandi.

*Publico Eruditorum Examini ſubmittit*

ELARDVS NAGEL, Brem.

*Ad Diem Julij H. L. 2. 3.*

OS \* \* SO

HEIDELBERGÆ,  
*Typis* WILHELMI WALTERI,  
Acad. Typogr. MDCLXXII.

*Viro*  
*Admodum Reverendo, Excellentissimo,*  
*Clarissimo, Doctissimo,*

**DN. DANIELI LUDEMAN.**

S.S. Theol. Doctori, Consil. Regio, Ec-  
clesiast. & Superintend. Bremens. h. t.  
Ducatum Bremensis & Verdensis de-  
signato & vocato Superintend. Gene-  
rali.

*Nec non*

*Viro*

*Nobilissimo, Excellentissimo, Consul-*  
*tissimo*

**DN. BURCHARDO EDEN,**

U. J. D. & in Incluta Republica Bre-  
mensi Syndico meritissimo &c.

*Dominis Patronis ac Fautoribus*  
*æternùm colendis, suspiciendis*

Disputationem hanc

Reverenter & officiosè  
*offert & dedicat*

RESPONDENS.

25.  
(Titelblatt  
S. Rückseite)




I. N. D. N. J. C.

DISPUTATIO

De Præstatione Doli, Culpæ et  
Negligentiæ in Contractibus : ubi  
nova sententia deducitur &  
demonstratur.

Sectio I.

*De Principiis Doli, Culpæ,  
& Negligentiæ.*

1.  Agis ingeniosè quàm verè inquit Celeberr.  
quidam Philosophus I. *Princ. Philosoph. art. 35.*  
Nulla re homines propiùs ad divinitatis im-  
mensam amplitudinem accedere , quàm  
voluntate , cui quædam infiniti ratio con-  
venit ; quia nihil occurrit , quod cujus-  
cunque , vel ipsius divinæ voluntatis ob-  
jectum esse queat , circa cujus vel aver-  
sationem vel desiderium nec nostra occupari possit : cùm econ-  
trà intellectus sit valdè finitus , nec nisi ad pauca ea , quæ ipsi  
A offerun-

offeruntur, se extendat. Hominem quoque, addit *artic. 37.* autorem quodammodo suarum actionum fieri, & ob ipsas laudem mereri per voluntatem: quia scilicet non necessarium, ut automata, sed per voluntatem i. liberè agit.

2. Caterùm illa quæ de voluntate prædicat laudatus autor, non magis de illa quàm de intellectu dici possunt: cum non possit voluntas in aliquod obiectum ferri, nisi prius id offeratur intellectui, & ab ipso, quale sit, cognoscatur: non enim potest aliquod obiectum movere voluntatem, nisi sub ratione boni vel mali: seu, nisi quatenus obiectum habet in se vel bonitatem vel malitatem: cum bonum nihil sit aliud, quàm quod congruit, malum, quod adversatur voluntati: an autem sit bonum vel malum, non nisi per intellectum potest cognosci. Quod cum ita sit, non potest voluntas latius patere quàm intellectus, aut ad plura obiecta extendi, cum nemo velle aliquid possit, quod non prius per intellectum cognoverit, quale sit, juxta vulgatum illud: *Ignoti nulla cupido.* Quin econtra latior quodammodo est intellectus, cui obiectum aliquod offerri inopinatum potest; & obvium esse statim, quale sit, adeò ut non possit non cognoscere quale sit, & intelligere illud etiam renitente voluntate. Unde quoque patet frivola esse, quæ de imperio voluntatis aut intellectus mutuo comminiscuntur Philosophi veteres.

3. Non magis autem verum est, quòd ideò laudem nos mereri ait dictus autor, quia non necessarium, sed liberè agimus. Nam omnino vitiosè libertati opponitur necessitas; quod evidentissimum fit in divina libertate, quæ semper cum necessitate conjuncta est, tantùm abest ut ei opponatur? Quicquid enim Deus agit, necessarium agit, & imprimis necessarium bene agit, nec aliter potest; & tamen omnia liberrimè agit: Unde manifestè apparet, libertatem non consistere in quadam indifferentia actuum (ut scholæ loquuntur) ad contradictoria vel contraria, ut possit quis agere vel non agere, aut hoc vel illud agere ita enim Deus liberè non ageret; sed in eo consistit, ut, quæ agit bene aut malè, cum pleno assensu & cum complacencia

centia quadam agat, id est, quia illa se agere intelligit & ideo delectatur: quod & inde probatur, quia voluntas nihil aliud denotat, quam assensum, quam quis præbere alicui actioni potest, etiamsi aliter agere non possit: ut si quis itinere maritimo versùs locum aliquem tendit, quò vehementia venti rectâ navim compellit; etsi enim alioversum ire ob vehementiam venti non possit, non tamen invitus eò vadit, sed rectè dicitur, quòd velit eò ire, quòd lubenter eò vadat, & quòd assensum itineri isti præbeat, licèt mutare cursum non possit. Nemo enim negabit supponi posse, istum peregrinatore[m] velle eò, v. g. in Belgium, navigare, etsi ob vim venti cursum mutare, & aliò ire non possit: si vult, sanè liberè eò vadit, cùm voluntatis necessarium adjunctum sit libertas; quæ proinde est in hoc homine, licèt aliter agere non possit. Et propter hanc ergo complacentiâ & assensum, liberè agere, & mereri laudes vel pœnas dicitur: non v. quia potest aliter agere; quòd an possit, jam Theologis discutiendum relinquimus.

4. Diximus, quòd pœnas aut præmia meremur, quòd vel culpæ rei judicemur, vel innoxii, esse ex complacentia seu assensu, quo lubentes amplectimur bonum vel malum, ille autem assensus non potest esse nisi præcedat rei cognitio; error enim & ignorantia impediunt consensum, eique contraria sunt. *l. 116. pr. & §. fin. R. 7. l. 2. pr. judic. l. 177. §. fin. l. 99. R. l. 9. C. jur. ign. l. 15. Jurisd. l. 20. Aq. pluv. arc. l. 57. O. A. l. 17. §. 10. Ad munic.* Ut igitur quis mereatur, vel demereatur, ut laude ac præmiis, seu vituperio & pœnis dignus judicetur, requiritur, (1.) ut consensiat plenè actioni, adeò ut aliqua delectatio & gaudium sequatur: ea enim vera est ratio merendi vel demerendi, quòd dum bonis vel malis actibus assentit, videtur in ijs sibi placere, iisque delectatur; adeòq; nihil huc pertinet, an aliter agere possit, (quòd proinde hìc non disquirimus) sed sufficit, ad pœnam vel præmia, quòd assentiat, quòd ita agendo delectetur, sibi placeat, & denique lubitu suo agat, etsi poneremus, aliter eum agere non posse: atque ita tunc demum vel à pœna excusatur, vel præmiis indignus habetur.

betur , si invitus agat , i. si actionem istam , sive bonam sive malam detestetur ; & ita contra lubitum benè vel malè agat : eo enim casu , cum principium actionis sit extra agentem , non illi pœna vel laus deberi actionis potest. (2.) Ut adsit cognitio & intellectus , num actio sit bona vel mala ; error enim , ut dictum , seu ignorantia consensum excludunt , *dd. ll. qui enim ignorat id quod agit , an bonum sit vel malum , non consensit , in id quod egit , nec in eo delectatur , sed in aliud , quod non egit. Unde rectè leges statuunt , Nullum delictum fieri sine animo delinquendi. l. 1. §. 3. in f. l. 12. l. 14. Sicar. l. pen. Adult. §. 7. obl. quæ ex del. & hæc duo requisita habentur in §. fin. d. t.*

§. Igitur in hac materia communiter mihi errare videntur Philosophi tum veteres , tum Neoterici ; tam quoddam homines ideò mereri vel demereri contendunt , quia cum electione agunt ; quàm , quoddam eo ipso hominem à brutis distinguunt , quoddam bruta non agant cum electione , atque adeò nec propter finem. Cum enim principia electionis æquè sint in brutis ac hominibus , hoc charactere ab invicem distingui non possunt : nam & bruta quædam agunt cum complacentia , & ultrò in ea feruntur , quia sensibus percipiunt naturæ suæ ea congruere ; quædam autem cum aversatione , quia noxia illa naturæ suæ sentiunt : cujus rei evidentissima in brutis videmus argumenta. Si enim cibus ac lignum eis simul porrigatur , discernent olfactu aut alio sensu , quid naturæ ipsorum congruit , & ea ratione cibum eligent. Si baculo mineris cani , fugiet ; si cibum offeras accedet , quia sensu percipit sibi illud nocere , hoc prodesse. Et adsunt igitur hinc electionis principia in brutis ; adest enim iis quædam lubentia , jucunditas , seu voluptas , appetendo quæ congruunt , & fugiendo adversa ; adest etiam perceptio , nim. sensitiva , quâ sensibus cognoscunt ea , quæ sibi congruunt : Et cum igitur electio competat brutis , iisdem etiam conveniet , ut propter finem agant , quia electio est finis , uti consultatio mediorum. Ita bruta omnino intendunt , ut sibi profint , cibum capiunt potius , quàm lignum , ut naturæ appetitum expleant , hunc potius quàm alium cibum



cibum, ut gustui inserviant: ita araneæ telam texunt, ut muscas in alimentum sui capiant, ut alia taceam de formicis, apibus &c. quibus exemplis efficitur, bruta aliud præ alio eligere: quia sensibus percipiunt, illa potius quam hæc ipsorum naturæ congruere. Malè autem reponitur, quod hæc agant ex directione superioris agentis. Nam idem homini accidit, qui & ipse quicquid agit, ex directione superioris agit, nec tamen idè definit ex præelectione agere: concussus enim seu influxus causæ primæ non tollit electionem causæ secundæ, quia non tollit lubentiam eius; nihilominus enim causa secundæ cum lubentia agit, & illud quod naturæ suæ congruit eligit: adedque lubenter, spontè & non coactè ita agit: cum enim unumquodq; velit, quod sibi congruit, illud agere nihil aliud est quam spontè & lubenter agere: uti contra coactè agere, opponitur *sp̄* spontè & lubenter agere: & coactè is agit, qui non agit cum lubentia seu sponte, quod fit quando quis agit, quod sibi adversari aut nocere sensibus percipit, adedq; quod non vult.

6. Aliunde igitur differentia petenda est inter homines & bruta: Est scilicet quædam perceptio, quæ fit per sensus, quæ dignoscitur, quid naturæ congruum aut contrarium sit, quod eligendo vel fugiendo mereri aut demereri non dicimur, quia nobis ipsis ea in re tantum profumus quo nihil nobis naturalius. *Cic. 3. Finib. H. Grot. l. B. & P. l. 1. c. 2.* adeoque non intellectu alicujus boni, cum illæ actiones bonitatem aut malitatem hæcenus non habeant, sed sensu privatae utilitatis vel jucunditatis tantum agimus: igitur cum dolorem nobis ipsis faciant, si noxia sint, & voluptatem, si congruant naturæ, amplius pœnam aut præmium non merentur; dum enim sibi ipsi obest aut prodest homo, sibi ipsi pœnam aut præmium constituit, scilicet dolorem vel delectationem; nec porro laudem ejus, quod naturæ nostræ, etiam ante rationis usum, insitum & innatum est, meremur, nec nobis acceptum ferendum, cujus studium ipsa natura nobiscum conjunxit: & hoc commune est hominibus ac brutis, nam & homo talia non per voluntatis rationalis, sed per appetitus sensitivi actum eligit, ut patet in in-



fantibus, in quibus nondum est rationis usus. Est autem quædam quoque cognitio, quæ fit per intellectum, seu iudicium rationis, quæ non dignoscimus, quid naturæ nostræ & sensibus congruit, sed quid dictamini rectæ rationis, principiis honesti & turpis, quæ non hominis personam privatam concernunt, sed societatem humanam, & civitatis statum publicum. Etenim, quod alibi ostendimus; ratio honesti aut turpis non alia est, quàm quæ naturæ societatis humanæ congruit: & legum finis nullus est alius, quàm felicitas civilis aut publica. Et hæc igitur tantùm cum habeant rationem boni & mali, is demum meretur vel demeretur, qui illa agit intelligens esse bona aut mala; per thes. 4.

7. Scilicet intellectus in homine est moderator actionum, quæ bonæ sunt aut malæ, & illi potius conveniunt prædicata, quæ suprâ memoratus autor voluntati tribuit. Illo cognoscit homo, non sibi soli, nec propter se natum se esse, sed ad mutuam societatem, quod saltem inter alia sermonis usus evincit; hanc ipsam autem societatem conditam esse ad finem aliquem eminentiorem, & gloriam auctoris sui. Et ideo rationis & intellectus ipsi concessus est usus, ut non tantùm ad fines hosce conditum se esse, sed & illa, quæ finibus istis extra se constitutis, & se superioribus conveniant, dignoscat, & illa agendo vel omittendo laudem vel vituperium mereri, bonus malusve, culpæ reus aut innoxius judicari queat.

8. Hinc itaque notamus hæc sequentia: Primum est, quòd evenire possit, ut actio alicujus sit mala, nec tamen is malè agat; uti si quis inscius & merè fortuitò homicidium faciat: actio enim illa mala est, quia contrariatur legibus ac rationi societatis humanæ, quam cædes destruunt; actio autem mala illa est, quæ contrariatur legibus aut naturæ, aut civitatis. Non autem malè agit hic homicida, quia ex ignorantia, & proinde absque intentione & consensu agit. Ita in l. pen. Adulter. violatum quidem est matrimonium, quod in se est malum; & tamen de violante dicitur, quòd non sit adulter, nec adulterium commiserit, cum inscius fecerit, & ignorans mulierem  
adhuc

adhuc nuptam esse ; si enim scit, ex lege eam repudiatam non esse, non debet id, utpote dolo malo, committere. *d. l. pen.* Inde etiam *in l. 11. §. pen. Pœn.* dicitur, delictum fieri casu, puta, si in venando homo interficiatur ; non tamen tali casu interficiens tenetur §. 3. & 4. *L. Aquil. l. 9. §. fin. eod.* Sunt igitur actiones quidem hæ malæ, nec tamen autores malè agere dici possunt.

9. Alterum, quod notamus hoc est : Quò magis aliquid fit per socordiam, simplicitatem, rusticitatem, inertiam &c. eò magis remotum est à culpa & delicto ; quia hoc magis abest propositum & animus delinquendi, qui in delictis spectatur *l. 14. Sicar.* quò magis committitur per ignorantiam, quæ consensum excludit, ut suprà dictum ; hinc rusticus si quid negligat, aut nesciat, minùs est in culpa, quàm vir rerum gnarus & prudens, uti verb. gr. qui ad reipubl. clavum sedet *l. 2. fin. Iure Fisc.* Inde leges rusticitati hominis potiùs parcendum esse statuunt, *l. 2. fin. si quis in ius voc.* & simplicitati subveniunt *l. 1. princ. verb. ne istis simplicitas sit damnosa. Dol. mal. l. fin. C. testam.* & quæ per rusticitatem & imperitiam fiunt, excusant. *l. 1. §. fin. In spic. vent. verb. per rusticitatem. l. 3. §. 22. verb. per imperitiam vel rusticitatem. Ad Silan. l. 25. §. 1. verb. rerum expers, vel aliàs simplicitate gaudens. Probat. l. 7. §. 4. verb. per imperitiam vel rusticitatem. Jurisd. d. l. 2. fin. verb. propter rusticitatem. Fur. fisc. l. 1. §. fin. verb. ob atatem, vel rusticitatem. Edend.* Ex quibus omnibus evidens est, rusticitatem & imperitiam potiùs culpam excusare, quàm intendere. Unde inepti planè sunt, qui ex cumulatione verborum *in l. 3. §. fin. susp. tur.* (in qua removendus dicitur tutor, sed salva existimatione, ob segnitiam, rusticitatem, inertiam, simplicitatem, ineptiam,) colligunt latam culpam, & idèd, quoad infamiam, culpam latam sub dolo non contineri. Quin imò tantùm abest ut hæc verba culpam augeant, ut potiùs minuant, & famam conservent : ratio enim Jcti est, quòd ita remotus non fiat infamis, quia non propter dolum & delictum aliquod remotus sit ; sed propter suam simplicitatem &c. quæ naturæ vitium est : *arg. l. 24. §. 2. verb. quia naturale vitium est. Damn. Inf. adèdque damnosa ipsi esse non debet. arg. d. l. 1. pr. Dol. mal.* Et proinde

proinde falsum est, per istas voces *in d. l. 3. §. fin.* intelligi latam culpam, cum ne quidem verè culpa sit, *per jam dicta.*

10. Tertium est, quod notamus: Patet *per th. 3, 4, 6, 7.* actiones hominum mereri vel demereri ob complacentiam seu consensum, quem adhibent rei bonæ vel malæ, & talem consensum non esse, nisi rem cognoscant, sitne bona vel mala. Interim tamen non semper evenit excusari eum, qui per ignorantiam aliquid commisit. Equidem, quando per ignorantiam delinquitur, abest consensus, qui in delictis est necessarius, *l. 14. Sicar.* adedque verum delictum non est; nec pœnæ locus est, quæ tantum delictis convenit. Cæterum, cum tamen de damno, quod uni contigit, resarciendo agitur, illudque vel uni, sc. domino, ferendum est, vel ab altero, apud quem sc. contigit, restituendum: quæri potest, cum neuter deliquerit proposito, quem æquius sit damnum hoc pati; anne potius dominus sufferre damnum rei suæ debeat, ne resarciatur; an verò alter, apud quem contigit, illud pati, ita ut resarciat? Et quidem, subductis rationibus æquitatis pro utroque, notamus sequentia: (1.) Si mero casu fortuito res perierit, nihil potest ei imputari, apud quem res periit, cum vi majori sit factum, cui ipse resistere non potuit *l. 18. pr. Commod.* nec proinde tenetur damnum restituere; alter autem de iniquitate queri non potest, quod jacturam rei suæ faciat, quæ apud alterum fuit: quia eadem ratione apud ipsum perire potuisset, nec magis ipse valuisset resistere, utpote cum vi majore contigerit, cui resisti non potest. *dict. l. 18.* (2.) Si non mero casu fortuito res periit; sed per factum aliquod ejus apud quem fuit, siquidem illud factum conjunctum est cum quodam proposito, non quidem nocendi, (illud enim verum esset delictum & dolus) sed negligentius gerendi res alterius, non dubium, quin teneatur in quovis contractu, quia fraude non caret: *l. 32. Depos.* adedque meritò luit. Si vero cum tali proposito factum non sit conjunctum, sed per meram ignorantiam seu negligentiam commissum, ratio æquitatis adhuc dicat, eum potius damnum præstiturum, cujus negligentia res periit, etsi illa non ex proposito delinquendi, sed

sed per ignorantiam seu imprudentiam; quia naturâ æquum est, ne delicta alicujus alteri sit damnosa. *l. 26. §. fin. Nox. act. l. 65. Evict. l. 3. in fin. pr. Transact.* neque queri potest, aut ignorantiam prætere; nam etsi extra culpam sit quoddam hic casus contigerit, quia ignorantia illius absque proposito contigit, non tamen extra culpam est, quod ad ignorantiam aut negligentiam talem prolapsus sit, quam subigere & corrigere tenebatur. Igitur, licet in ipso facto non sit culpa aut delictum, quia absuit animus delinquendi *arg. l. 14. Sicar.* cum per ignorantiam gestum sit; præcessit tamen culpa & delictum in eo, quod diligentia ac rebus cognoscendis, quas jus aut leges requirebant, operam non dederit, in quo adfuit animus delinquendi, cum ultro leges neglexerit. Leges ergo non statim puniunt sui negligentiam aut ignorantiam, sed tunc demum, quando per illam inscitiam aut negligentiam aliquid committitur. Cæterum leges in omnibus non eandem requirunt diligentiam, prudentiam, aut cognitionem: differentia enim est tum in personis; amplius enim requiritur in viris quam fœminis, minoribus, aut pueris. *l. 1. §. fin. Edend. l. 8. l. 9. pr. jur. ign. l. 25. §. 1. Probat.* amplius in viris præclaris, quam rusticis. *l. 2. fin. jur. fin.* tum in negotiis, prout hujus vel illius gratiâ geruntur. Ut igitur specialius hæc definiamus, regulæ sint sequentes. (1.) In Administratoribus rerum alienarum requiritur diligentia exactissima; administrantur enim negotia per diligentiam, adeoque qui administrationem ultro suscipit, omne id profiteretur, quod per diligentiam expediri potest; nihil igitur quod per quamcunque negligentiam sit, culpa hic vacuum est. *l. 21. C. mand.* Cessat igitur illa ratio in iis, qui ultro non suscipiunt, sed ex necessitate quadam muneris, ut tutores, in quibus proinde remittitur diligentia exactissima, & media exigitur, quia tutor tamen vir diligens esse debet. Cessat itidem in rebus communibus, in quibus non ultro quis administrationi se offert, sed quas gerit propter partem suam. *l. 26. §. 25. fam. etc.* sufficit ergo si idem in illis præstet, quod in suis; nec queri alter potest, quia sibi imputet, qui negligentem socium adsum-

adsumsit : sed hujus præstationis ratio pendet ex diversitate negotiorum: de quo mox. Cessat denique ratio illa in iis causis, in quibus non est administratio libera & gestio negotiorum alterius, sed simplex custodia, aut factum aliquod simplex, quod non diligentiam geritur, sed fide, adedque diligentiam non requirit, nisi utilitate negotij ratione hujus vel illius exigatur aliquid amplius, de quo paulò post. (2.) Eadem ratione in iis, qui artem & operam ultrò profitentur, requiritur peritia ac promptitudo; unde, uti in administratore culpa est, quicquid quavis negligentiam contingit, quia promittit omne id, quod per diligentiam expediri potest; ita in artifice, seu illo, qui operam proficitur, quicquid per imperitiam aut infirmitatem contingit, culpa est. *l. 7. §. fin. l. 8. pr. & §. 1. Ad L. Aq.* quia promittit peritiam & operam: *non autem affectare debet, in quo vel intelligit vel intelligere debet, infirmitatem suam* (idem puta de imperitia, & ignavia, *l. 132. R. I. l. 3. pr. Transact*) *alii periculosam fore d. l. 8. §. 1.* (3.) Negotiorum quoque diversitas efficit, ut amplius exigatur ab uno quàm ab alio, nec semper negligentia pro culpa habeatur. Diximus non esse delictum, quando per meram negligentiam aut ignorantiam, quæ etiam in propriis est, aliquid committitur, quia abest animus delinquendi. Et licet culpa præcesserit, quâ contracta est primò illa negligentia, non tamen, cum jam contracta sit, amplius, quod per illam fit, veri delicti rationem habet; adedque nec pœnam, quæ delictis tantum competit, mereri potest. Licet autem ipsi potius, cujus negligentiam contigit, imputandum sit damnum, quàm alteri, cum suâ negligentiam culpam illam contraxerit, non tamen hoc eodem modo puniendum, ac verum delictum, quod fit animo delinquendi: & rursus tamen, cum iniquum sit, dominum ferre id damnum, quod facto alterius contigit; leges id ita deciderunt, ut is potius præstet damnum, qui utilitatem ex contractu habet, proportionatè: si itaq; nulla sit accipientis utilitas nullam etiam culpam præstat, sed solum dolum, & quod dolo æquivalet, ut in deposito: nec queri potest deponens de negligentia alterius, quâ damnum contigit, quia sibi imputabit, quod negligentiam  
amico

amico rem commiserit. §. pen. Q. m. r. c. obl. Si omnis utilitas ex contractu sit accipientis, omnem etiam culpam is præstat, solo casu fortuito excepto, quia is potuisset etiam contingere, nec ei resisti, etsi contractus non intercessisset. Si denique utriusque est utilitas, mediâ viâ inceditur, & levis demum culpa præstat. Et hinc igitur patet, rationem istam, quæ ab utilitate contrahentium desumpta est, pertinere ad illam negligentiam, quæ sine proposito accidit: si enim adest propositum, proximè ad delictum seu dolum accedit, adeoque ex ea ratione præstanda venit. (4.) In aliis negotiis variè inspicitur, quid alicui imputari possit: ita sævitia præceptoris culpa est. l. 5. fin. junct. l. seq. Ad L. Aq. ita culpa est temerè se immiscere rei alienæ l. 36. R. 7. & c.

II. Hinc verò jam constat, ex quibus fontibus deriventur dolus, culpa, & negligentia. Ad quorum pleniorum tractatum antequam accedamus; præmittendum in initio: duos esse modos loquendi Juris valde familiares, quando dicunt PRÆSTARE CULPAM & PRÆSTARE DILIGENTIAM, de quibus omnino notandum, quòd planè unum idèmq; & eandem prorsus præstationem significant, verùm contraria ratione: nam *præstare culpam* dicitur is, qui committit culpam quam evitare debebat, adeoque damnum præstat, quod inde contigit; sed *præstare diligentiam* dicitur, qui adhibet diligentiam, quam adhibere debet: Igitur *præstare* additum vocibus *culpa*, & *doli*, notat omissionem, & interdictum quasi continet, ne illa committantur: additum vocibus *diligentia*, *custodia*, notat admissionem, & jussum quod ut adhibeantur: *præstare culpam* & c. est non adhibere, remove, inde teneri, & de eo dicitur, qui non esse debet in culpa, aut si sit, teneri; adeoque figuratè dicitur, pro *præstare damnum, quod ex culpa & c. contigit*. *Præstare diligentiam* est adhibere eam, aut ad eam teneri. Quod autem his diversis formulis eadem indigitetur præstatio, ita demonstramus. In pignore creditor præstare dicitur culpam levem l. 18. fin. pr. Commod. arg. l. 5. §. 2. eod. illam autem præstat quando omittit diligentiam mediâ; quia culpa levis dicitur à Dd. ommissio diligentia mediâ: quam tamen eandem ipse præstare

stare dicitur in §. *fin. Q. m. r. c. obl.* idem ergo est præstare culpam seu negligentiam mediam, & præstare diligentiam mediam; idem enim contractus qui recipit diligentiam mediam, recipit eo ipso culpam levem; dum enim injungitur & exigitur diligentia, prohibetur culpa seu negligentia. Nos igitur, ubi hæc occurrent in seq. distinctionis gratia dicemus, *præstari culpam, dolum &c. sed exigi diligentiam*, quæ duo effectu idem sunt: & ita perinde erit in contractu commodati, sive dicatur præstari culpa & negligentia levissima, sive exigi diligentia exactissima seu maxima: exigitur enim diligentia maxima, quando præstatur culpa & negligentia levissima; quia hæc nihil aliud est, quàm omissio istius diligentia maxima. Eadem ratione, perinde est in contractu pignoris, emtionis &c. sive dicas præstari culpam levem, sive exigi diligentiam mediam: & denique in contractu depositi perinde erit, sive dicas, præstari negligentiam seu culpam latam, aut exigi diligentia saltem parum. Eo ipso enim dum omissio diligentia debita i. culpa vel negligentia vindicatur, ipsa diligentia debita exigitur: intelligimus autem culpam & negligentiam, quæ non est conjuncta cum proposito aliquo: de quo postea. Add. Schema Disp. præc.

12. Deinde præmittimus, voces has: culpam, negligentiam, ignorantiam, quando vindicari alicubi dicuntur: item diligentiam, exactum &c. fines suos recipere à legibus, eoque diversos pro diversa ratione contractuum: adedque, quando simpliciter ponuntur, omne id significant, quod quovis in negotio requiritur vel reprehenditur; idque probatur abunde ex iis, quæ tradita sunt Disp. præc. Prop. 12. & 13. Ita culpa, & negligentia, si simpliciter ponantur, significant omne id, quod quovis in contractu præstandum est; aded ut, quod non est præstandum, id in eo contractu culpa aut negligentia planè non sit. Sic in negotiis, in quibus tantùm lata culpa præstatur, illud, quod in aliis contractibus levis vel levissima culpa dicitur, planè culpa non est, & si quis in iis illam culpam, quæ in aliis dici solet culpa levis vel levissima, committat, dicitur culpà carere in l. 22. §. 3. *Ad Trebell. verb. cum culpà careat*: ideoque



que æquissimum dicitur, nihil ipsum præstare: & tamen potuit negligentiam levem vel levissimam admisisse; hæc igitur cum in illo casu non præstetur, ideo verò culpa non est: sic in pignore levissima culpa, dicitur nulla culpa *l. 8. C. pign. act.* uti & in locatione, *l. 3. §. 1. Naut. caup. verb. si sine culpa eius*, quod relatè dicitur ad locationem. Ita quando simpliciter negligentia, ignorantia &c. præstandæ dicuntur, intelligendum est pro ratione negotii, de quo agitur, ut illa demum ibi intendatur negligentia vel ignorantia, quæ à legibus in isto negotio notatur & rejicitur. *l. 15. §. 1. contr. emt. l. 55. Edil. ed. junct. l. 3. §. 1. l. 6. jur. ign.* illud exactum, diligens &c. quod legibus in quovis negotio requiritur *l. 21. C. mandat. verb. exacto officio. l. 25. §. 16. Fam. excise. verb. diligens &c.* & eadem culpa aut diligentia duobus contractibus, qui diversas præstationes recipiunt, addita, diversam notat culpam aut diligentiam pro diversa negotij ratione: ut in *l. 5. §. fin. Commod. l. 23. R. f. d. l. 5. §. 2. l. 13. §. 1. Pign. act.* Estque hoc summæ rationis: est enim culpa (de qua agimus) nihil aliud quàm negligentia, quæ legibus improbatur & alicui imputatur ad damnum per eam illatum resarciendum; ut postea definietur; & ergo illud quod legibus non improbatur, aut alicui imputatur, non erit culpa aut negligentia: & cum proinde vitiositas culpæ in eo consistat, quòd lege notetur & improbetur, sublata illa vitiositate, tollitur culpa; ac proinde in iis negotiis, in quibus levissima culpa non imputatur, illà sublata levem culpam immediate sequitur casus fortuitus, & ἀπέρας ei opponitur, ut in *§. fin. Q. m. r. c. obl. l. 13. §. 1. pign. act. &c.* cum nulla culpa sit intermedia. Et pari ratione, si nec levis culpa imputatur, casus fortuitus sequitur immediate culpam latam, quia reliquæ culpæ non sunt, *l. 22. §. 3. Ad Trebell. l. 52. §. 2. §. 3. pro soc.* ubi damnum fatale definitur, quod imprudentibus accidit; cum autem imprudentiam quandam esse constet, quæ legibus imputatur auctori, hæc intelligenda est illa imprudentia, quæ legibus non notatur; & patet ergo, si non notetur imprudentia, eam ad casus fortuitos pertinere.

13. Hisce notatis porrò præmittimus aliquot assertio-

B

nes,

nes , quæ in antecessum prolixius demonstrandæ , ne postea tractatus seriem nimis impediant : Quarum est

*Affertio I.*

**C**ulpa in proprio sensu omnino distinguenda est à negligentia

Includit enim vox culpæ vitiositatem, quam negligentia suâ naturâ non continet. Negligendi enim vox in genere nihil notat nisi omissionem ; quæcunque enim omittimus , ea negligimus , & retrò ; talis autem omissio in se nec bona nec mala est, ut si quis non emat hanc aut illam rem, vel non vendat eam, cum liberum id ei sit : ita omissio distractionis rei suæ dicitur negligentia in l. 22. §. 3. Ad Treb. quæ in propriis nihil culpæ habet , cum cuique liceat illud intermittere. Sed & licet cum damno tertij illa sit conjuncta , non semper culpam continet ; ( uti in d. §. 3. negligentia distrahendi rem alterius est extra culpam , si in suis idem omittat ) sed tunc demum , quando lege ad observandum res alterius adstringimur. Est igitur quædam negligentia absque culpa , earum scil. rerum, quas diligentius observare non tenemur : uti , si quis in domum vicini fures noctu intrare putet, & tamen per socordiam negligat eos investigare, aut impedire, cum possit : non enim tenetur ; utpote re ipsi non commissa : aut si domus aliqua in urbe hac fulmine tacta incendio conflagraverit, tuq; plurimas inde res salvare possis , nec tamen per desidiam aut pigritiam , cum fortè cubitum jam iveris , id facias , cum non magis , quàm alii, tenearis , est quidem negligentia , sed extra culpam. Ita Cic. pro S. Rosc. Propterea quòd, si rectè fiat, illum negligere oporteat qui mandaverit, non qui mandatum receperit. Sic negligentia , quæ contingit per rusticitatem aut simplicitatem, tantùm abest, ut sit culpa, ut potiùs magis excuset, per ea quæ diximus. th. 9. Verùm ipsa

ipsa CULPÆ vox intrinsecè vitiositatem quandam dicit, & ali-  
quid, quod jure reprehenditur, & intrinseca quadam ratione  
malum est: nam & culpandi vox denotat actum, quo repre-  
hendimus aliquid, quod malè factum est; & uti laudari re-  
cta, ita culpari dicimus mala: ut in his: *Illum laudabunt boni,  
hunc etiam culpabunt ipsi mali.* *Plaut. in Bacch.* *Neque quæ rectè  
faciunt culpo, neque quæ delinquunt, amo.* *Id. Asin.* Ita Cicero  
culpam cum peccato conjungit, dum ait: *Præter culpam ac  
peccatum homini accidere nihil posse, quod sit horribile & pertime-  
scendum, lib. 5. Ep. fam. 21.* Et quòd mali rationem contineat cul-  
pa, patet ex his: *Vacare culpâ magnum est solatiunt.* *Id. lib. 7. ep. 3.*  
*Ferre ea molestissimè homines debent, quæ eorum culpâ contracta sunt.*  
*Id. ad Q. frat. lib. 1. ep. 1.* *Homines miseros fortunâ magis, quàm cul-  
pâ calamitosos.* *Id. 9. ep. 13.* Et non minus egregiè quàm disertè  
*lib. 6. ep. 4.* *Conscientiam rectæ voluntatis maximam consolationem  
esse rerum incommodarum: nec esse ullum magnum malum præter  
culpam.* De ratione igitur culpæ est, ut adsit vitiositas quæ-  
dam moralis, quæ cum esse non possit sine animo ac propo-  
sito, culpa propriè dicta tunc demum est, quando conjuncta  
est cum proposito aliquo, ac proæresi, non quidem malitiosè  
alterum lædendi, & certum damnum inferendi, quo casu do-  
lus esset, sed incertum damnum, quod tamen video posse  
fortè contingere, haut præcavendi in re alterius, cum susce-  
perim. *arg. §. 7. pen. obl. quæ ex del. l. 14. Sicar. junct. l. 32. Depos.*  
Negligentia autem simplex, quæ ex socordia quadam natura-  
li est, vitio morali caret, cum absit animus & propositum  
*arg. dd. ll.* non tamen semper excusatur, sed imputatur quæ-  
dam negligenti: nec immeritò, quia etsi, quod per eam fit,  
culpâ non fiat, (abest enim animus & voluntas) præcessit  
tamen culpa, quòd illam negligentiam contraxerit, nec dili-  
gentiâ ac prudentiâ debitâ se instruxerit: & igitur si quis per  
negligentiam naturalem committit aliquid, etsi non committit  
culpam, cum sit negligens, committit tamen quòd sit negli-  
gens, nec vitium illud naturale studio subegerit, & correxe-  
rit. Assertionem autem nostram, culpam distinguendam esse à  
negligentia simplice, his porò fundamentis ostendimus *l. Per  
l. 216.*

*l. 226. V. S. Magna negligentia culpa est, magna culpa dolus.* Negligentia hinc separatur à culpa, & duæ ejus species constituuntur; quod quædam sit *magna*, & per consequens quædam *non magna*; & sola magna pro culpa habetur: uti eadem ratione culpa in duas species dispescitur; *magnam* aliam, & proinde aliam *non magnam*: & illa sola pro dolo habetur; non autem dolus revera est, sed ab eo distinguitur *in l. 8. §. 10. Mand. l. 2. C. in lit. jur. l. 1. C. depos. l. 24. C. neg. gest. l. 7. C. arb. tut.* Nim. quædam culpa tam propè abest à malitia, ut dolus inde præsumatur, uti fit quando res alterius, quæ communes non sunt, minori cura quis gerit, quàm proprias; cùm enim hinc præcedat deliberatum consilium segniùs tractandi res alterius quàm suas, cùm ab invicem separet, & aliquo discrimine habeat, quod absque consilio aliquo fieri non potuit, hinc leges inde præsumunt prævum nocendi animum, & culpam hanc dolo æquiparant. Uti autem culpa hæc dolo æquiparatur, ita quædam etiam negligentia simplex est, quæ aded est supina ac dissoluta, ut quis eam affectasse & consilium negligendi præmississe præsumatur: (2.) *Per l. 23. R. 7.* unde sic, quod volumus, efficitur: Socius ibi dicitur præstare dolum & culpam; venditor, conductor, creditor in pignore insuper etiam diligentiam, seu (quod idem *per th. 11.*) negligentiam: hæc igitur negligentia primò opponitur culpæ, adedque diversa est species: deinde non potest intelligi culpa levis; nam hæc culpa diligentia voce continetur, cujus omissio est levis culpa, cùm ultra levem culpam contractus illi nihil præstent; nec lata, quia hæc in deposito etiam præstatur; culpa autem ibi significat aliquid amplius quàm id, quod in deposito præstatur, cum à deposito separetur. Est igitur culpa hæc aliquid à negligentia speciebus diversum (3.) *Per l. 29. §. 4. Adult.* ubi disertè opponuntur. (4.) *Per §. fin. Societ. l. 72. eod.* Ubi dicitur teneri socium culpæ, i. desidia & negligentia nomine; & tamen dicitur, negligentiam socio non esse imputandam, nec proinde teneri de negligentia; sed imputandum id alteri, qui negligentem socium adsumsit. Evidenter igitur duplex ibi species negligentia refertur; altera de qua socius non tenetur,

tenetur, quia in suis negligens est, aded ut alter sibi impu-  
 tare debeat, quod socium aded negligentem in suis adsumserit,  
 proindeque hæc est simplex negligentia, quæ naturalis est so-  
 cio, & sine affectu negligendi; quam nos culpæ opponimus:  
 altera, de qua socius tenetur, est ipsa culpa propriè dicta, quæ  
 conjuncta est cum animo negligendi, adedque non est negli-  
 gentia simplex, sed quæ culpam in se continet. Expressè ergo  
 duæ hæc species referuntur, non gradu tantùm distinctæ sed &  
 specie: utraque enim simpliciter appellatur; nam & culpa, seu  
 negligentia quæ cum culpa est, de qua tenetur socius, simpli-  
 citer ita dicitur; & negligentia simplex, de qua non tenetur,  
 atidem simpliciter refertur, neque hæc illà, aut illa hac major  
 vel minor dicitur; ut appareat, non hæc esse differentiam gra-  
 dūs, sed essentiæ. (5.) *Per l. 17. pr. jur. dot. l. 1. pr. Tut. & rat.*  
*dist. l. fin. C. pact. conv.* in quibus præter culpam dicitur præstan-  
 da diligentia, quam in propriis adhibent; nim. si sint homines  
 frugi, ut patet *ex l. 31. Ad L. Aq. l. 11. Per. rei vend. l. 25. §. 16. Fam.*  
*erc. l. 35. §. 4. contr. emt. l. 10. Adm. tut. l. 14. Pign. act. l. 24. §. 5. sol.*  
*matr. verb. exiger.* intelligitur enim diligentia, qualem quisque  
 in suis tanquam bonus paterfam. adhibet, qualis quisque præ-  
 sumitur: hæc autem est descriptio levis culpæ, *per §. 2. Q. m. r.*  
*c. obl. §. 1. Obl. q. q. ex cont. l. 1. §. 4. O. A. l. 3. Per. rei vend.* Et cum  
 igitur præter hanc culpam levem, seu diligentiam mediam aliis  
 adhuc culpæ mentio fiat *in dd. ll.* diversa illa erit à diligentia,  
 seu (quod idem, ut demonstratum *thes. 11.*) ab ejus opposito  
 negligentia. (6.) *Per l. 47. §. pen. Leg. 1. l. 5. §. 2. & §. ult. Comm.*  
*l. 23. R. 7. d. l. 17. pr. d. l. 1. pr.* in quibus omnibus apertè diligen-  
 tia, ac proinde & negligentia, (quod eodem recidit *per d. th. 11.*)  
 separatur à culpa, & tanquam diversæ species non tantùm gra-  
 du, sed essentià distinctæ opponuntur: & aperta est ratio op-  
 positionis; cum facilè pateat, ided id dici, quod præter dolum  
 seu delictum, quod per malitiam seu lædendi animum; & cul-  
 pam, seu delictum, quod per negligentiam, seu negligendi  
 propositum committitur, etiam illud præstetur, si aliquis non  
 fuerit debità diligentia instructus, & aliquid per socordiam  
 C suam,

suam, seu desidiam naturalem damni dederit: & hic sc. est sen-  
 sus: non tantum non debere aliquem sponte & deliberato lade-  
 re aut negligere, seu malitiam aut negligentiam praemeditatam,  
 i. e. *dolum vel culpam*, cogitatio committere; sed &, etiam si ani-  
 mus absit, nec per defectum naturalem diligentiae ejus, quae in  
 ipso requiritur; adedque adhibendam esse diligentiam debitam,  
 etsi ipse natura tam diligens non sit. (7.) *Per dd. ll.* in quibus  
 per diligentiam seu (quod idem *d. th. 11.*) negligentiam intel-  
 ligitur media; haec autem negligentia habetur aliàs pro levi  
 culpa, ut fatentur omnes; culpa igitur, quae ibi commemo-  
 ratur, aliud quid est, quam levis culpa, nec etiam est lata cul-  
 pa, cum illa comprehendatur voce doli, erit proinde separata  
 species, quae nec sub dolo simpliciter, nec sub negligentia  
 continetur. (8.) *In dd. ll.* & culpa simpliciter refertur, & se-  
 paratur à negligentia, itidem simpliciter relata; de neutra  
 itaque specie dici potest, quod tantum gradu ab altera differat,  
 cum utraq; seorsim suos habeat gradus ab invicem diversos *per l.*  
*226. V.S.* Et ergo culpa & negligentia gradibus sibi non oppo-  
 nuntur, sed gradus culpae & gradus negligentiae opponuntur in-  
 ter se. (9.) *Per l. 25. §. 16. Fam. etc.* Ubi dicitur heredem non te-  
 neri ad diligentiam, quam diligens paterfam. suis rebus adhi-  
 bet; diligentia igitur non requiritur in herede, ac proinde non  
 praestat negligentiam; at praestat culpam; Culpa ergo diversa  
 est à negligentia. (10.) Rationes culpae & negligentiae sunt  
 diversae: ratio enim cur culpa praestetur, est quia est quaedam deli-  
 cti aut perfidiae species; *l. 32. Dep.* quae ratio cessat in negligentia,  
 cui non adest affectus delinquendi; adedq; damnum ob eam fa-  
 ctum non tam in poenam resarcit, quam quaedam aequitatis ra-  
 tione; quia qui utilitatem capit ex contractu, etiam damnum,  
 quod ipsi potius, quam alij imputari potest, resarcire debet *l. 61. §. 5.*  
*furt.* unde etiam, si nulla ejus est utilitas, ut in deposito, nihil ob  
 negligentiam praestat, nisi ex quo dolus praesumitur. (11) Quia  
 culpa & negligentia diversissima habent praedicata: culpa enim  
 unius tantum est generis: scil. quando quis propositum habet:  
 minorem aliis, quam suis, curam gerendi. *d. l. 32.* negligentiae  
 autem

antem plures sunt gradus, tot scilicet quot diligentiae, quae est exactissima, media, vel minima. Et ergo totidem gradus habet negligentia, seu culpa, quae simplex tantum est negligentia, scilicet ut sit levissima, levis, lata: vera autem culpa in se unius est generis, & definitione uniusmodi. (12.) Per l. 32. Depos. junct. l. 213. l. 223. V. S. Illa enim lata culpa, quae describitur in d. l. 32. & est vera culpa, diversa plane est à lata culpa, quae describitur in d. l. 213. & d. l. 223. & est mera negligentia; cujus proinde species diversae sunt à vera culpa. (13.) Per l. 8. §. fin. Mand. junct. l. 7. §. 2. Adm. tut. Nam in d. l. 8. eadem gratia adscribitur latae culpae, & in d. l. 7. negatur esse latae negligentiae; haec ergo differunt.

### Affertio II.

**E**adem est culpa vel negligentia, quae praestatur tum in deposito, tum in societate: scilicet culpa lata, seu negligentia magna.

Hoc demonstramus sequentibus argumentis. (1.) Ex l. 72. Pro soc. §. fin. eod. junct. l. 32. Depos. §. pen. in fin. Q. m. r. c. In quibus eadem praestations in deposito & societate iisdem ferè verbis exprimuntur: Dicitur enim in d. §. fin. Societat. de socio: Sufficit talem diligentiam communibus rebus adhibere, qualem suis rebus adhibere solet. Sufficit ergo ad suum modum curam in rebus communibus gerere. Idem dicitur in d. l. 32. Depos. de depositario his verbis: Nisi ad suum modum curam in deposito praestat, fraude non caret. Et hinc igitur sufficit ad suum modum res alterius gerere, seu, eo modo gerere, quo suas gerit: quae plane eadem sunt. (2.) Quia ratio praestations utrobique eadem adjungitur, & iisdem propè verbis. In d. §. fin. & d. l. 72. verba sunt haec: Nam qui parum diligentem socium sibi adsumit, de se queri, sibi que hoc imputare debet. Verba autem d. §. pen. haec sunt: Quia qui negligenti amico rem custodiendam tradit, non vi, sed sua  
facili-

facilitati id imputare debet : quæ rationes planè conveniunt. Nec  
 dices (1.) In d. l. 72. & d. §. fin. esse verba, *parum diligentem*; sed  
 in d. l. penult. vocem, *negligenti*. Ergò in societate sufficit parva  
 diligentia; in deposito verò negligentia : Nam R. (1.) In d. l.  
 penult. immediatè præcedunt hæc verba : *Securus est, qui parum  
 diligenter custoditam rem furto amiserit*; & postea sequuntur de-  
 mum illa : *Quia qui negligent, &c.* adedque idem, qui postea ne-  
 gligens dicitur, antea dictus fuit parum diligens, proindèque  
 per negligentiam intelligitur etiam in deposito parva diligentia :  
 Et hinc R. (2.) Quòd intelligatur in d. §. penult. negligentia,  
 non supina ac dissoluta, sed quæ aliquid diligentiaè habet: si enim  
 nihil adhibet diligentiaè, erit negligentia magna, quæ etiam in  
 deposito vindicatur, l. 1. §. 4. O. A. & nimia, quæ lata culpa est,  
 l. 29. pr. mand. l. 213. l. 223. V. S. Et igitur negligens ibi est, qui  
 parum est diligens. (3.) Idem hæc ratione demonstramus: In  
 societate præstatur parva diligentia, d. §. fin. Societ. verb. *parum di-*  
*ligens*. quæ est diligentia C; ac proindè coincidit cum lata culpa  
 γ, cujus est ommissio c. quæ etiam præstatur in deposito : Hæc  
 hætenus clara & certa. Nam quòd parva diligentia sit dili-  
 gentia C, patet, quia aut erit diligentia C, aut B; non B. quia  
 cum illa sit diligentia, quàm patresfam. boni & frugi adhibere  
 solent, non posset aliquid imputari socio, quod talem socium  
 adsumserit, qui ut bonus paterf. res suas gerit. Erit ergo dili-  
 gentia C, seu minima, cujus ommissio est lata culpa. (4.) Per  
 l. 1. §. 4. O. A. ubi magna negligentia præstatur in deposito : ea-  
 dem autem etiam præstatur in societate, ut probatur ex d. §. fin.  
 Societ. junct. §. pen. Q. m. r. c. obl. nam requiritur parva saltem dili-  
 gentia in societate, d. §. fin. verb. *parum diligentem*. quæ dicitur ne-  
 gligentia in d. §. pen. verb. *negligenti amico*. cum ergo negligentia  
 simpliciter excusetur in societate, illa, quæ vindicatur, erit  
 magna negligentia, cum minor non præstetur. arg. l. 226. V. S.  
 (5.) Idem demonstratur evidenter ex l. 23. R. 7. Ubi per cul-  
 pam, quæ præstari dicitur in societate, intelligitur ommissio mi-  
 nimæ diligentiaè; quod ostenditur : Tam in contractu pignoris  
 &c. quàm in contractu commodati simpliciter in d. l. 23. præ-  
 stari

Vid. Schema  
 prac. disp.



stari dicitur diligentia ; cum autem hæc vox contineat dupli-  
 cem gradum diligentia; ; aliam , quæ in pignore præstatur , sc.  
 exactam , §. pen. Q. m. r. c. aliam quæ in commodato , sc. exactis-  
 simam , unus tantum gradus diligentia; restat , sc. minima ; hæc  
 ergo sola præstanda restat tam in societate , quàm deposito ; cum  
 præter diligentia; duos gradus , qui in reliquis tantum præstantur ,  
 & à societate æquè ac à deposito separantur , solus restat gradus  
 diligentia; minimæ. (6.) Facit huc valde locus Cic. pro S. Rose.  
 Am. Rectè , ait , majores eum , qui socium fefellisset , in virorum bo-  
 norum numero non putârunt haberi oportere. Et ergo is demum  
 pro socio actione tenetur , qui socium fefellit vel per malitiam  
 l. 1. pr. Dol. mal. vel per latam culpam l. 32. Depos. Nam per sim-  
 plicem negligentiam non potest quis dici alium fallere , quia ab-  
 est animus fallendi. Quodsi autem levior etiam negligentia  
 vindicaretur in socio , id in d. loc. omnino omittendum non fuisset ,  
 cum valde id faciat ad exaggerationem causæ ac propositi :  
 unde etiam paulò antè eundem in finem valde exaggerat & ur-  
 get Cic. quòd in causa mandati summum dedecus fuerit , non  
 modò , si quis malitiosius , sed & , si negligentius gessisset. Et inde  
 validè causam instruit hac ratione : *Itane est ? in minimis re-  
 bus , qui mandatum neglexerit turpissimo iudicio condemnatur necesse  
 est : in re tanta & c. is inter honestos homines , atque adeò inter vivos  
 numerabitur ?* Quod profectò nec omisisset in sequenti ratione  
 à sociorum præstationibus desumpta , si putasset eos quoque ne-  
 gligentiam simplicem præstare , uti mandatarius. (7.) Ratio  
 alias peti potest ex d. §. fin. Societ. ubi dicitur , quòd sufficiat par-  
 va diligentia : Hujus autem diligentia; omissio est maxima ne-  
 gligentia ; nam ubi negatur parva diligentia , omnis negatur ;  
 si enim aliqua est , erit saltem parva : non potest autem major  
 esse negligentia , quàm à qua omnis diligentia abest. Et cum  
 igitur omisâ parvâ diligentia nulla adhibeatur diligentia , erit  
 hæc omissio maxima negligentia , quâ quis id non facit , quod  
 omnes facere solent , qui aliquid diligentia; adhibent d. l. 223.  
 Præstatur ergo in societate maxima negligentia , cum sufficiat  
 quævis saltem parva diligentia. (8.) Parva diligentia non est me-  
 dia

dia, illa enim exacta dicitur §. fin. Q. m. r. c. obl. & illam boni & frugi patresf. adhibent, qui non possunt dici parum diligentes; ita enim non essent patresfam. frugi & industrii. Est ergo minima: vid. Schema præc. Disp. (9.) Quia, quoties culpa opponitur diligentiae mediae, lata intelligitur, ut expressè probatur *ex l. 6. Adm. rer. ad civ. Magistratus reip. non dolum solummodo, sed & latam negligentiam, & hoc amplius etiam diligentiam debent.* Unde idem quoque intelligendum in *l. 17. pr. jur. dot. &c.* non enim per culpam potest ibi levis intelligi, quia illa continetur sub diligentia q. opposito; perinde enim est præstare culpam levem, aut diligentiam, (ut demonst. *thes. 11.*) ulterior enim diligentia illic non venit. Atqui culpa in societate opponitur diligentiae, in locato, emto, pignore &c. præstandae, quæ, ut constat, est diligentia media: ergo intelligitur lata culpa, non levis, quam complectitur vox diligentiae.

### Assertio III.

**I**lla tamen culpa in societate dolo non comparatur, & hoc effectum levis culpa dici potest.

Latae culpæ effectus est, ut dolo comparetur, & dolus exinde præsumatur; ille autem effectus cum cesset in societate & reliquis communionibus, hoc effectum culpa lata non est, sed effectum habet culpæ levis, quæ dolo opponitur. Cessare autem hunc effectum in societatibus, & in ijs ex lata culpa dolum non præsumi, probamus his rationibus. (1.) Quia non præsumitur dolum, ubi quis causam habet gerendi, quævis enim vel fatua causa excusat à dolo, ut vulgò ajunt *Dd. Clar. §. fin. Pract. Crim. q. 60. n. 22. arg. l. 25. §. 3. verb. cum nullam causam haberent possidendi. Her. pet. l. 126. pr. l. 129. pr. l. 167. §. fin. R. l. l. 5. C. pet. her. l. 9. fin. Ad L. Aq. l. 3. §. 2. Hom. lib. exh.* Socius autem causam  
sam

*iam* habet gerendi propter partem suam. *l. 25. §. 16. verb. quoniam*  
*bic* ( *sc. cohæres* ) *causam habuit gerendi propter partem suam.* Non  
 ergo in illo dolus est præsumendus ex lata culpa ; sed plenè pro-  
 bandus: quo casu, utpote in claris, non opus est conjecturis *l. 25.*  
*§. 1. leg. 3.* ( 1. ) Cùm lata culpa ideò dolo comparatur, quia,  
 ut dictum, dolus est præsumtus, quòd leges dolum inde præ-  
 sumunt, ( *vid. inf.* ) hinc in societate & communionibus cessat  
 illa præsumtio doli, & contrarium potius præsumitur ; quia  
 nemo videtur sibi velle obesse, & se lædere. Cùm ergo so-  
 cius gerat rem, quæ est pro indiviso communis, non potest in ea  
 damnum inferre parti socii, quin simul inferat portioni propriæ,  
 cùm sit pro indiviso communis : quod nemo præsumitur ultrò  
 velle, quia naturale est unicuique, se ac sua diligere, *Cic. 3. Finib.*  
*naturalia* autem præsumuntur ; sed & nemo præsumitur jactare  
 suum ; quòd fieret, si proposito doloso damnum rei communi in-  
 ferret. ( 3. ) *Per l. 23. R. I.* ubi culpa, in societate & communio-  
 nibus præstanda, apertè separatur à dolo, cùm contrarium fiat in  
 deposito, in quo culpa voce doli continetur. ( 4. ) Idem con-  
 tingit in *l. 108. §. 12. Leg. 1.* in qua & hoc occurrit amplius, quòd  
 in eodem negotio, ( *sc. fideicommissio* ) si restituens non sit co-  
 hæres, dolus dicitur præstari, ut in contractibus, qui solius dan-  
 tis gratiâ fiunt, adeò ut voce doli culpa contineatur ; si autem  
 sit cohæres, ac proinde sit rei communio, culpa à dolo sepa-  
 rari, & seorsim præstari, etsi æquè lata sit culpa, ut assert.  
*præc. ostensum* est. Manifestissimum igitur est, eandem culpam  
 in communionibus à dolo separari, nec sub eo contineri ; con-  
 tineri aut in deposito & aliis negotiis, cùm etiam in eodem ne-  
 gotio, si sit res aliena, culpa voce doli contineatur, si commu-  
 nis, ab eo separetur, ut sit in *d. l.* ( 5. ) *Per l. 25. §. 16. Fam.*  
*erc. verb. non tantum dolum, sed & culpam præstare debet cohæres :*  
 Nihil ergo apertius, quàm in communiione hac separari culpam  
 à dolo, cùm aliàs eo contineatur. ( 6. ) *Per §. fin. Socier. l. 72.*  
*cod.* ubi in deposito dicitur præstari dolus tantum, in societate  
 v. etiam culpa : constat a. ex assert. 2. quòd eadem etiam culpa  
 in deposito præstetur : & cur ergo in societate tantum dicitur,  
 quod

quòd culpa præstetur , non v. in deposito ; sed quòd in eo solus dolus veniat ? Scil. quia in illâ , culpa continetur dolo : in hac non continetur , sed separatur à dolo. (7.) *Per l. 52. §. 2. Pro soc.* Ubi itidem expressè culpa à dolo segregatur in societate. (8.) Valde huc faciunt §. *fin. societ. l. 72. eod.* ubi quæritur , an non tantùm doli nomine teneatur socius , sed & culpa , i. *desidia vel negligentia.* Cur enim textus hi culpam explicant per negligentiam vel desidiam , cùm vox culpæ æquè sit clara , ac vox negligentia & desidia ? Ratio dubitandi alia dari non potest , quàm quòd eadem culpa , quæ in societate est negligentia simplex , in aliis negotiis , in quibus quoque præstatur , non sit negligentia , sed malitiæ æquiparetur. Unde & in §. *pen. Q. m. r. c. obl.* dicitur , depositarium hujus culpæ , i. negligentia seu desidia nomine non teneri , quia in illo contractu hæc culpa malitiæ accensetur. Et ergo negligentia hic opponitur malitiæ , quæ dolo inest , vel pro dolo habetur. Caterum hisce , quæ diximus , videntur aliquæ difficultates obstare. Et quidem (1.) Quòd depositarius ita plus præstaret , quàm socius ; is , cujus nulla est utilitas , plus , quàm ille , cujus utilitas est cum socio communis , contra *l. 5. §. 2. Commod.* Eadem enim culpa graviùs vindicaretur in deposito , quàm in societate ; & scil. in illo effectum haberet latae culpæ , & tanquam dolus puniretur ; in hoc verò tantùm ut levis culpa. R. Tunc amplius in uno contractu præstari dicitur , quàm in alio , quando culpa aliqua levior vindicatur , quæ in hoc non vindicatur ; uti in commodato præstatur levissima culpa , quæ non præstatur in pignore *l. 18. pr. Commod.* adeòque in illo amplius præstatur , quàm in hoc : non v. quando illa culpa , quæ gravior est , etiam graviùs vindicatur. Nam & in reliquis contractibus id accidit , ut culpa hæc dolo æquiparetur , & ita graviùs coërceatur , quàm in societate. Culpa igitur lata graviùs punitur in deposito , quàm in societate , quia in eo ipsa culpa est gravior , & dolus esse præsumitur , ac proinde æquè ac dolus vindicari debet ; in societate autem eadem culpa est levior , ac proinde mitiùs debet puniri , & ut culpa levis. Et nihilominus plus præstatur in

in societate, quàm deposito, quia in illa aliquid quoq; præstatur, quod extra dolum est, & pro levi tantum culpa habetur: in deposito autem id tantum, quod dolus & pro dolo est. Unde etsi culpa hæc in deposito pro levi haberetur, in illo planè non vindicaretur: sed vindicatur, quia dolus est præsumptus. Nam latam culpam committere in rebus alienis gravius est delictum, quàm in rebus communibus, quarum pro parte est dominus: tum quia plus potestatis & licentiæ habet in his quàm in illis; aliena enim exacto officio geri debent, in propriis autem ipse moderator est ac arbiter, & pro parte in communibus: tum quia non potest præsumi animus damnum inferendi rebus, quæ pro parte sunt propriæ: quia cuique naturale est, se ac sua diligere, ut supra dictum. (2.) Quod in legibus aliquando culpa opponatur diligentia mediæ; ut in *l. 17. pr. iur. dot. l. 23. R. l. &c.* illa autem culpa non potest esse lata culpa, quia illa sub dolo continetur, uti in *d. l. 23.* sub dolo revera comprehenditur quoque culpa lata, cum hæc, pariter ac dolus, in deposito præstetur; nec potest esse culpa levis, cujus præstatio eadem est cum diligentia mediæ; *d. thes. 11.* nec levissima, quæ in istis negotiis non venit. Hæc difficultas ex communi sententia solidè explicari non potest; & hypothesin nostram omninò firmat, ex qua res clara est. Igitur R. Culpa diversa est, tum à negligentia simplici: quia hæc non, ut illa, est conjuncta cum proposito negligendi, sed vitio naturali accidit; tum à dolo, qui continet animum malitiosè alium lædendi. *l. 1. pr. dol. mal.* culpa autem propositum saltem res alterius negligentius gerendi, quàm suas: quæ culpa etiam in iis negotiis, in quibus dolo comparatur, sæpe tamen seorsim à dolo exprimitur, quia sc. non semper dolo inest, & aliquando effectum levis culpæ habet, & hinc in *d. l. 23.* culpa opponitur diligentia mediæ, quia non tantum intelligitur culpa, quæ in deposito præstatur & reliquis, ubi dolo comparatur; sed & illa, quæ in societate venit, quæ dolo non continetur. Hic itaque sensus est illarum legum, quod in illis negotiis vindicetur tum propositum malitiosè lædendi; tum propositum negligentius gerendi: tum denique negligentia homi-

*ni naturalis, quæ est absque proæresi. Illud per dolum indigi-*  
*tatur; istud per culpam; (quæ modò est dolus, modò non)*  
*hoc per negligentiam seu diligentiam. (3.) Quòd in l. 72. Pro*  
*soc. §. fin. eod. culpa definitur per desidiam vel negligentiam; verb.*  
*culpa, id est, desidia vel negligentia. R. Ita describitur culpa op-*  
*positè ad dolum; ut ei contradistinguatur; dolus enim com-*  
*mittitur per malitiam; culpa autem etsi quoque sit conjuncta*  
*cum proæresi, non tamen per meram malitiam committitur,*  
*sed per desidiam & negligentiam, non simplicem, sed conjun-*  
*ctam cum proposito negligendi: illa igitur desidia seu negli-*  
*gentia, quæ culpa describitur, opponitur malitiæ, quæ inest*  
*dolo. Et ratio, cur addita sit illa explicatio culpæ, per voces*  
*negligentiæ & desidiæ, hæc est: quia, cum ista culpa, quæ*  
*in locietate præstatur, aliàs soleat dolo comparari, hoc tamen*  
*in negotio, culpa illa non habetur pro dolo, seu malitia; sed*  
*pro negligentia, seu desidia; inde dicitur: culpa, id est, desidia aut*  
*negligentia, non verò culpa i. malitia, pro qua aliàs hæc culpa*  
*haberi solet in reliquis negotiis. (4.) Quòd in dd. ll. tantum*  
*videtur excludi diligentia exactissima, ac proinde socius teneri*  
*saltem ad mediam: verb. culpa autem non ad exactissimam diligen-*  
*tiam dirigenda est. R. Exactissima diligentia ibi opponitur illi*  
*diligentiæ, quam suis rebus quis adhibere solet, ad quam so-*  
*cius omnino tenetur, quia ejus omisso est lata culpa l. 32. Dep.*  
*Ita enim sæpius describi solet diligentia exactissima, ut scil. sit*  
*exactior illa, quam suis quis adhibere solet. l. 3. Peric. rei vend.*  
*l. 1. §. 4. O. A. §. 2. Q. m. r. c. Hæc igitur dum excluditur, sola*  
*requiritur illa diligentia, quam socius suis rebus adhibere solet;*  
*in quo sufficit, ut quamcunque diligentiam suis adhibeat. d. §.*  
*fin. d. l. 72. cum in aliis necesse sit, ut in suis saltem mediam*  
*adhibeant diligentiam. (5.) Quòd in l. 22. §. 2. Ad Treb. negligentia*  
*rebus suis assueta, dicitur esse levis culpa. R. 1.) Vox negli-*  
*gentiæ ibi ponitur, non diligentiæ, quia agitur de rei alicujus*  
*omissione, sc. de ommissa distinctione, quæ ommissio malè dice-*  
*retur facta fuisse per diligentiam; non enim rectè dicitur, ali-*  
*quid omitti vel fieri per diligentiam; quia diligentia actionem*  
notat,

notat, & qui omittit rem, non diligens est circa eam, sed eam negligit. (2.) Agitur ibi de culpa levi ac negligentia, quam in suis quis adhibet, quæ proinde est omissio diligentiae exactæ seu mediæ.

## Sectio II.

### *De iis, quæ in singulis contractibus præstanda.*

14. Damna rei alienæ inferuntur (1.) dolo. (2.) Culpa. (3.) Negligentiâ. (4.) Casu. l. 5. §. 2. fin. Commod. l. 23. R. f. d. l. 5. §. fin. Commod. l. 47. §. pen. leg. 1. l. 3 §. 1. Naut. caup. l. 17. pr. pr. jur. dot. l. 6. Adm. rer. ad civ. Aut enim deliberato damnum inferitur, aut non deliberato, Aristot. 5. Moral. c. 15. si deliberato, præcessit consultatio, animive deliberatio aut ad lædendum per malitiam, aut ad negligendum per aliquam desidiam. Cic. pro S. Rosc. In privatis rebus si quis rem mandatam non modò malitiosius gessisset, verùm etiam negligentius: eum majores summum admisisse dedecus estimabant. Si non deliberato damnum contigerit, sed per simplicem negligentiam vel imprudentiam, aut requiritur ab ipsis diligentia; & negligentia, quæ damnum contigit, ipsis imputatur, & pro culpa habetur: aut non requiritur, & damnum ad casus fortuitos pertinet, utpote, quod imprudentibus accidit, imprudentiâ legibus haud notatâ. l. 52. §. 2. Pro soc.

15. Dolus est propositum malevolum, quo quis damnum dat alienis rebus, ad hoc, ut det. Dixi, esse propositum, eadem ratione, quæ Justitia definitur voluntas; quippe in quo consistit ratio merendi vel demerendi, & benè vel malè agendi: uti enim secundum virtutem nemo agit, nisi qui per voluntatem seu liberè agit; ita nemo delinquit, nisi qui sciens ac volens delinquit. vid. thes. 4. Dixi, esse propositum malevolum, quia ad dolum requiritur, malitia & improbitas. Dixi, damnum inferri, quia intelligitur dolus cum effectu; is enim cui nihil damni contigit, nihilque proinde abest, non potest actione

aliquid persequi : nec cogitationis aut nudi propositi pœnam  
 quis patitur. *l.18.Pœn.* Dixi, damnum dari ad hoc ut detur, quia  
 si de hac intentione, quod præcisè nocere voluerit, non constet,  
 dolus non est. *per l. 2. §. 2. & 4. vi bon. rapt.* Cæterùm non eodem mo-  
 do ubique doli vox sumitur. In edicto *de dolo malo* dolus sumitur  
 pro quadam callidate, & astutià, quâ quis imprudens decipitur *l.1.*  
*pr. verb. calliditate quadam. l.7. §. fin. vers. nisi ex evidendi calliditate.*  
*l. 8. verb. mei decipiendi gratiâ. l. 9. §. 1. verb. si callidè hoc feceris. Dol.*  
*mal. & definitur ibi Dolus, quod sit omnis calliditas, fallacia,*  
*machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum ad-*  
*hibita. l. 1. §. 2. d. tit.* Alia definitio est *in l. 7. §. 9. Pact.* quam  
 refert & probat Ulp. ex Pedio; eademque esse videtur cum illa,  
 quam idem Ulp. ex Servio refert & improbat *in d.l.1. §. 2.* adeò-  
 que Dd. nonnulli duo ista loca inter se committunt. Hanc  
 putat non rejici istam definitionem Servii ab Ulp. *in d.l. 1. §. 2.*  
 sed ridiculè: Nim. (1.) proponit Ulp. vitia illius definitionis:  
 (2.) refutat ea ex Labeone: (3.) aliam Labeonis refert, quæ  
 vitia illa non habet; (4.) & quidem ideo eam refert quia  
 prior non sufficit. *arg. verb. Itaque* (5.) Cùm duas proposuerit  
 definitiones, de sola Labeonis dicit, quod vera sit. Ad quid  
 hæc omnia, si & prior sit vera? Ita res determinanda est:  
 Labeonis definitio, quam probat Ulp. *in d.l. 1. §. 2.* non est di-  
 versa ab illa, quam refert & probat *in d.l. 7. §. 9.* sed ab utra-  
 que longè diversa est illa Servii *in d.l. 1. §. 2.* Is enim dupli-  
 cem facit descriptionem doli: (1.) *ut sit machinatio quadam de-*  
*cepiendi.* (2) *Ut sit, quando aliud agitur, aliud simulatur:* &  
 unum videtur explicare velle per alterum, ut machinatio illa  
 decipiendi tunc intervenire intelligatur, quando aliud agitur,  
 aliud agi simulatur; quod falsum putat Labeo. (1.) Quia  
 machinatio illa decipiendi potest etiam fieri sine simulatione, &  
 nim. aperto conatu, ut quando in emtione alter de augendo,  
 alter de minuendo precio certant, qui non dolus est, sed so-  
 lertia licita, quâ singuli utilitatis suæ promovendæ studia palam  
 produnt: ac proinde non sufficit machinatio illa, quæ etiam  
 sit in bonam partem. (2.) Quia etiam sine dolo malo aliud  
 agi,



agi , aliud simulari potest. *arg. l. 43. fin. contr. emt. l. fin. C. neg. gest. verb. dolosa adsimulatione.* quibus innuitur adsimulationem aliam esse non dolosam. Ita faciunt , qui per ejusmodi dissimulationem deserviunt , id est , sua vel aliena tuentur ; & ita hoc quoque in bonam partem sumitur. Hæc ergo duo vitia tollit definitio tum Labeonis *in d. l. 1. §. 2.* quæ variis illis verbis omnes acceptiones in bonam partem tollit : tum Pedii *in d. l. 7. §. 9.* qui , dum simulationem alterius decipiendi gratiâ ponit , excludit tum machinationem seu circumventionem illam licitam , quæ non est simulatio , cùm fiat palam ; tum simulationem licitam , quæ non fit alterius decipiendi gratiâ : quæ omnia confirmat *d. l. 43. fin. cont. emt.* Notandum tamen , quòd non merè sint Synonyma , quæ refert Labeo , sed se invicem explicent , & ad sese referantur : sc. calliditas ad circumveniendum ; fallacia ad fallendum ; machinatio ad decipiendum. Illud continet dolum in dicendo , istud in tacendo , hoc in faciendo : ut ita omnis generis doli nervosè ibi contineantur. Cæterum nimis angusta est hæc significatio in hac materia ; nam & sæpe sine tali calliditate committitur dolus , uti si quis ex mera malitia , palam & sine fraudulenta machinatione damnum rei alterius inferat. Ita dolum committit raptor , qui vi sine circumventione bona alicui eripit. *l. 2. pr. 2. & §. 2. §. 3. §. 8. vi bon. rapt.* & homicida dolo facit , dum alium occidit *l. 7. l. 10. l. 16. Sicar.* & uti in priore specie dolus nihil est aliud , quàm malitia per fraudem & callidè admissa ; ita in hac specie est malitia commissa per violentiam , quod utrumque exertè habetur *in d. l. 2. §. 8.* Et hinc explicatur evidenter sententia *l. 14. §. 13. Quod met. ea.* ubi dicitur , quòd metus cum dolo concurrat , non quasi callida quædam machinatio cum dolo conjuncta sit , sed quia vis tam in edictum , *quod vi , & metu* , quàm in edictum *de dolo malo* venit : nam & illud vim continet , cùm sit de vi & metu ; & hoc , quia dolus vim continet *d. l. 2. §. 8. 9.* cùm itaque utroque edicto vis vindicetur , concurrat circa vim edictum de dolo cum edicto de metu. *Disq. Clariss. Struv. Exercit. 8. D. 23.* ubi concurrere ait dolum cum metu , quòd vis illa quæ dolo continetur , conjuncta

juncta sit cum callida machinatione, cum tamen expressè dolus  
 calliditati opponatur, & duo illa separentur in d. §. 8. & 9. l. 26. Capr.  
 & postl. Cæterum generalis acceptio nostro tractatui quadrat  
 cum omnis malitia seu perversum nocendi propositum, sive per  
 calliditatem fiat, sive per violentiam, doli nomine veniat. l. 1.  
 pr. junct §. 12. si quis om. ca. l. 71. §. pen. Acq. her. l. 11. §. 2. pæn. l. 2.  
 §. 8. 9. vi bon. rapt. l. 7. 10. 14. Sicar. l. 2. §. 32. Ad Tert. l. fin. §. fin.  
 Incend. l. 43. fin. Contr. emt. Etsi autem dolus & fraus sæpius pro-  
 miscuè accipi soleant. l. 1. pr. §. 11. 12. 13. si quis om. ca. &c. non-  
 nunquam tamen distinguuntur l. 2. C. in lit. jur. ita ut per frau-  
 dem intelligatur damnum illud, quod dolo contingit, eoque  
 continetur; inde enim fraudandi vox est, quæ læsionis dolosæ  
 actum arguit, per l. 7. §. 10. verb. si fraudandi causâ. Pact. ubi eo  
 sensu etiam fraus dolo inesse dicitur. d. §. 10. in fin. sed & alia  
 paulò generalior est acceptio doli pro omni malitia & proposito  
 delinquendi: ut in l. pen. Adult. imò pro omni eo, quod natu-  
 rali æquitati repugnat, ut in exceptione doli. arg. l. 17. §. 4. fin.  
 Inst. act. Denique doli vox aliquando in bonam partem sumi-  
 tur, pro solertia laudabili, quando quis non alteri nocendi,  
 sed se suæque tuendi, vel deserviendi gratiâ, dolo utitur, id  
 est, alium solerter inducit: ita enim damnum, quod imminet,  
 propulsatur, quod omni jure licitum est; & cum per vim de-  
 fendere quis se suæque possit, idem per solertiam talem licebit,  
 & quidem multò moderatiùs. l. 1. §. 3. Dol. mal. Ejusdem farinae  
 sunt & alia nomina in l. 3. §. 2. Sicar. l. 236. U. S. &c. vid. Wisenb.  
 1. Disp. 13. thes. 28. & ad l. 236. R. 1.

16. Culpa est propositum negligendi, quo quis ge-  
 rendo res alterius negligentius, quàm proprias, contra fidem,  
 quam tacitè sequitur alteri, damnum rebus alterius infert. l. 32. Dep.  
 l. 6 §. 6. His qui not. Qua ratione dicatur propositum ex defini-  
 tione doli patet. Non autem hujus definitione continetur ma-  
 litia mera, (ita enim à dolo non differret) sed negligentia,  
 non quævis, sed affectata, & conjuncta cum animo & propo-  
 sito negligendi; unde dolus & malitia præsumitur. In hac  
 itaque specie non quaeritur, an deliberatio, ut in dolo, præ-  
 cesserit

cesserit, ad ipsum damnum inferendum; sed an præcesserit deli-  
beratio ad damnum, quod fortè evenire potest, segniùs, quàm  
in suis solet, præcavendum; nec quaritur an adsit malitia,  
seu consilium lædendi, quod dolus est; sed an adsit negligenti-  
a affectata, seu consilium negligentius gerendi res alterius  
quàm proprias. Dixi ergo, culpam continere consilium negli-  
gendi; quod vitiositatem quandam moralem in se continet;  
quâ quis dicitur malus, & actio ejus mala moraliter. Est ergo  
hæc culpa quædam delicti species, quæ ex se pœnam meretur; &  
cùm duo requirantur ad rationem delicti, ut intelligat quid agat, &  
actioni consentiat; per §. pen. obl. quæ ex del. utrumq; adest culpæ; scit  
enim negligentiam eam esse malam; ideo enim in suis eam  
avertit: sed & scit aut scire debet, bonæ fidei repugnare & per-  
fidia speciem esse, quod ipsi commissum, ultro negligere; deinde  
ultrò etiam & datâ opera negligit: cùm enim differentiam con-  
stituât inter res alterius & suas, easque, quas cognoscit esse  
suas, diligentius curet; quas alienas, negligentius: eo ipso  
præcedit deliberatio & consilium res alterius magis negligendi,  
quàm suas: omnis enim actio deliberata est propter finem, qui  
est principium actionis, & ad gerendum movet: necesse est igitur,  
ut illa separatio rerum alienarum & propriarum sit facta  
propter certum finem, qui sit causa ac principium movens ad  
talem separationem: nam ubi est actio, ibi etiam est causa  
actionis, scil. finis. Ille autem finis satis apparet ex eo, quod  
illas, sc. alienas res, minus curat, quàm has sc. proprias. Hæc  
igitur causa fuit, cur segregaret rationes proprias ab alienis, ut  
sc. illas diligentius curaret, has sequiùs. Cum ergo sit evidens,  
negligentiam illam esse præparatam, & præmeditatam; patet,  
verum esse, quod amplius dixi: istâ negligentia falli fidem ta-  
citè datam. Nam & is qui commisit, hoc facto eligit indu-  
striam alterius, quâ is consuevit negotia sua gerere, & sequitur  
fidem, quam gestor de se fecit, tali diligentia res suas commu-  
niter gerendo, ut dicitur in l. 6. §. 6. His qui nor. alter vero, qui  
suscipit, hoc facto, & sc. suscipiendo curam rei alterius, vi-  
detur consentire alterius præsumptioni, & probare opinionem  
de

de se conceptam , ac proinde spondere alteri talem industriam , quæ , quòd ordinaria ipsi sit in suis negotiis , alterum movit , ut ipsi potiùs , quàm alii negotia commiserit , & ipsius potiùs quàm alterius fidem sequutus sit *d.l. 6. §. 6.* Igitur , si gestor negotia , tali industriæ conditione tacitè utrinque commissa & suscepta , segniùs gesserit , quàm solet , fallit omninò fidem tacitè utrinque datam & acceptam , & fraudis notà haud caret. *arg. l. 32. Depos.* Et hoc est quod dicitur in *d.l. 6. §. 6. Edicto* ( infamiae scil. ) *notatur non solùm , qui mandatum suscepit , sed is , qui fidem , quam adversarius secutus est , non præstat : utpote fidejussi pro te , & solvi ; si recusas reddere , fidem , quam secutus sum , fallis.* Et ergo infamia notaris , si non præstas fidem , quam alter secutus est , & de te præsumsit ; & quam tu , suscipiendo negotium , vel probando alterius opinionem de te conceptam , tacitè promittis. Notanda itaque quæ dixi , ut hæc species probè à reliquis discernatur. Non quæritur hîc , an adsit malitia , & an propositum malignum quis habuerit , rebus alterius damnum inferendi ; ( si enim malitia hæc manifesta esset , & de ea constaret , verus esset dolus , non culpa ) sed , an adsit studium segniùs gerendi res alterius , quàm suas , & damnum , quod accidere fortè potest , minùs avertendi à rebus alienis , quàm propriis contra fidem tacitè datam. Non enim perfidia tantùm est , si per malitiam , sed & , si quovis vitio , v. gr. per negligentiam datà operà , & studio commissam , fidem fallat. Et ergo potest , qui hanc culpam committit , malitia merà ac simplici carere , & vacare dolo ; sed & verus dolus ac vera malitia adesse possunt : licèt igitur non semper appareat , si quis ita neglexerit rem alterius , an animo maligno lædendi fecerit , an verò tantùm minùs & negligentius res alterius gerendi , ita ut damnum tamen directò inferre noluerit : sed saltem , si quod contingat , tardiùs , quàm solet , declinaverit : cùm tamen tale propositum proximè ad dolum accedat , & vix à malitia absit , *l. 22. §. 3. Ad Treb. l. 226. V. S. l. 4. Mag. conv. l. 47. §. pen. leg. 1. l. 8. §. 3. Precar.* dolus aliquis ex eo colligitur : ( in rebus sc. alienis , non communibus , vid. assert. 3. ) cùm fraude non careat , qui datà operà  
negli.

negligentiùs damnum avertit à rebus alienis, quia sunt alienæ, quàm à propriis. *l. 32. Depof.* In eo igitur culpa distinguitur à dolo; *Dolus* malus est malitia mera, *l. 1. pr. Dol. mal.* quæ tunc committitur, ut dicitur in *l. 2. §. 2. Vibon. rapt. si quis, præcedente consilio, ad hoc ipsum, ut damnum det, aliquid molitur*: requiritur igitur ad malitiam hanc meram, seu dolum (1.) Ut consilium præcedat. *d. l. 2. §. 2. verb. præcedente consilio.* (2.) Ut directè intendatur ipsa læsio seu damni datio. *d. l. 2. §. 2. verb. ad hoc ipsum, ut damnum det. & d. l. 2. §. 4. Homines coactos accipere debemus, ad hoc coactos, ut damnum daretur.* (3.) Ut de malitia illa constet, & ut sit malitia evidens & probata, non dubia & præsumpta. *l. 7. §. fin. Dol. mal. verb. nisi ex magna & evidenti calliditate*: nam nisi de malitia illa constet, nec potest constare de dolo. Hæc omnia secus se habent in *Culpa*, quæ est quidem malitia quædam, sed imperfecta, & cum imprudentia seu negligentia conjuncta, & quasi medium aliquid inter simplicem malitiam & simplicem negligentiam; cum sit negligentia quædam cum proposito negligendi conjuncta. Et igitur (1.) est propositum aliquod seu consilium, & hoc ipso participat de malitia. (2.) Non requiritur, ut plena malitia adsit, seu consilium ad id, ut damnum inferatur, uti in dolo; sed sufficit consilium, si quod fortè evenire damnum potest, (cum etiam possit non evenire) negligentius, quàm solet, avertendi: quod quidem potest merà malitiâ accidisse, sed cum de animo malitioso ex illo facto non satis constet, neque malitia, quæ adesse potuit, probari possit, quod adfuerit, dolus non est, utpote in quo de malitia constare debet; sed sufficit probare aliquod propositum, ex quo quis intelligebat damnum fortè sequiturum; licèt alia ratio fuerit, quâ moveri potuit ad ita agendum, ut non statim videatur voluisse damnum inferre; & idè fecisse, ut damnum inferat, sed aliam ob rationem; v.g. negligentiam, gratiam &c. Hæc optimè confirmat locus *Cic. pro S. Rosc.* quem proinde planè adscribemus: *In privatis rebus, si quis rem mandatam non modò malitiosius, (qua voce dolus denotatur) gessisset, sui questus aut commodi causâ, verùm etiam negligentius*

E

gligen-

*gligentiùs: (en culpam, quæ hac voce denotatur) eum majores sum-*  
*num dedecus admisisse existimabant. Itaque mandati constitutum*  
*est iudicium, non minus turpe, quàm furti. Credo propterea, quòd*  
*quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his opera nostra vicariæ*  
*fides amicorum supponitur: quam qui ledit oppugnat omnium com-*  
*mune presidium: & quantum in ipso est, disturbat vitæ societatem.*  
*Non enim possumus omnia per nos agere, alius in alia est re magis uti-*  
*lis. Idcirco amicitia comparantur, ut commune commodum mutuis*  
*officiis gubernetur. Quid recipis mandatum, si aut neglecturus aut*  
*ad tuum commodum conversurus es? (ex his verò verbis, & se-*  
*quentibus, imprimis ex verbis, officio simulato, patet, loquitur*  
*textum de negligentia quam studio & datà operà quis commit-*  
*tit; quod & inde certum fit, quia loquitur de negligentia,*  
*quam sequitur infamia, qualis non est negligentia simplex, quæ*  
*non perfidiam, sed vitium naturale continet arg. d. l. 6. §. fin.)*  
*cur mihi te offers, ac meis commodis, officio simulato, officis &*  
*obstas? recede de medio, per alium transigam. Suscipis onus officij,*  
*quod te putas sustinere posse: quod minimè videtur grave ijs, qui mi-*  
*nimè ipsi leves sunt. Ergo idcirco turpis hæc culpa est, quod duas res*  
*sanctissimas violat, amicitiam & fidem, nam neque mandat quisq;*  
*ferè, nisi amico: neque credit, nisi ei, quem fidelem putat. Per-*  
*ditissimi est igitur hominis, simul & amicitiam dissolvere, & fallere*  
*eum, qui latus non esset, nisi credidisset. Itane est? in minimis re-*  
*bus, qui mandatum neglexerit, turpissimo iudicio condemnatur ne-*  
*cesse est: in re tanta &c. In minimis, privatisque rebus etiam negli-*  
*gentia in crimen mandati iudicijq;, infamiam revocatur &c. Unde*  
*evidens est, quàm meritò culpa hæc ad dolum & delicta per-*  
*tineat, non ad simplicem negligentiam; cùm quandam perfidi-*  
*æ speciem contineat. Add. Assert. 1. princ. Dices: Quòd ea-*  
*dem ratione, (sc. quia profitetur & promittit talem industriam,*  
*quæ optimè res administrari possit) mandatarius præstet culpam*  
*levissimam, (thes. 18. inf.) quæ tamen non est perfidia, R. Illa*  
*culpa non fit præcedente consilio & ex proæresi, ut vera culpa,*  
*sed vitio naturali: non enim ex proposito omittit curam, quam*  
*tacitè promisit, (quod in vera culpa supposuimus) sed per sim-*  

plicem

simplicem negligentiam &c. Culpa hæc vel magna est, vel non magna seu minor. *arg. l. 226. U. S.* Magna, quæ committitur in rebus alienis; quando alienæ minùs curantur, quàm propriæ; *arg. l. 32 Depof. minor in communibus; quando sc. communes minùs curantur, quàm propriæ.* Gravior enim culpa est, negligere res alienas, in quas nihil mihi juris, *arg. l. 21. C. Mand. verb. sua quisque negotia ex proprio animo facit, aliena verò exacto officio geruntur.* quàm communes, quas gerendi causam & jus habeo propter partem meam. *arg. l. 25. §. 16 fam. etc. verb. Quia, qui in communione est, causam habuit gerendi propter partem suam.* Illa propiùs ad dolum accedit, quia magis conjuncta est cum proposito & consilio negligendi: evidens enim est propositum illud ex eo, quòd eandem negligentiam à suis declinando satis intelligit, eam damnosam esse posse. Hæc remotior est à dolo, & propiùs accedit ad negligentiam simplicem, quia minùs conjuncta est cum tali proposito negligendi; minùs enim intelligere videtur, damnosam esse illam negligentiam; quia eam nec à suis semper avertit: communia enim pro parte indivisa ipsius sunt; Denique illa dolo æquiparatur, quia proximè ad dolum accedit. *l. 7. §. 1. Susp. tut. l. 22. §. 3. Ad Treb. &c.* adeò ut sæpe dolo quidam exinde præsumi possit: cum enim non possit semper constare, an lædendi, an saltem negligendi animo factum sit, si de hoc constet, parum ab illo, & scilicet à dolo abest, ac proinde in causis, quæ non requirunt evidentem ac verum dolum, pro dolo habetur. *l. 226. U. S. l. 1. §. 1. si mens. fals. mod. l. 29. princ. Mand. l. 8. §. 3. Precar. l. 5. §. 15. ut in poss. leg. l. 2. §. 5. Her. vend. l. 7. §. 1. Susp. tut.* Hæc (sc. minor culpa) dolo non comparatur, quia longiùs, ut dictum, à dolo distat, nec proximè, ut culpa magna, sed magis ad negligentiam simplicem accedit; atque adeò hoc effectu pro levi culpa habetur. Unde in *l. 2. C. quand. & quib. quart. dicitur: Naturale vitium esse, negligere, quod communiter possiderur.* quia scilicet parum abest à negligentia naturali, seu simplice. *Add. Assert. 3.* Exempla porò culpæ magnæ sunt: Si quis rem corrumpere passus est, nec distraxerit, cum soleat tales res distrahere, si ipsius

tunt. l. 22. §. 3. *Ad Treb.* Si quis sciat in servos dotales, cum non sit servus in proprios. l. 24. §. 2. *sol. matr.* Si iussus emere patitur alium emere per gratiam. l. 8. §. fin. *Mand.* Si per gratiam emat rem minus idoneam. l. 7. §. 2. *Adm. tut.* dum enim quis ea per gratiam facit aut omittit, intelligit factum illud, aut omissionem facti alteri utilem esse posse; & sic illi potius gratificari intendit, quam auctori suo; quod lata culpa est, quia adest propositum ita agendi; non dolus, quia non ideo intendit, ut laedat, sed ut alteri gratificetur. (Nota autem quod ab hac culpa aperte separetur lata negligentia in d. l. 7. *quae proinde non obstat d. l. 8.*) Si quis equam pascentem in suo vehementius egerit, eamque ruperit; idque consulto, seu ideo, quod sciret eam esse alienam; (si enim idem solitus facere in propriis, non potest videri consulto fecisse, *per jam dicta*, adeoque tunc non hanc culpam committit, sed latam negligentiam seu scivitiam, quae huic culpae equiparatur, & in propriis quoque est culpanda. *arg. l. 24. §. 5. sol. matr. Vid. th. seq.*) dolus enim non est; quia non egit ut noceat, (de eo enim saltem non constat) sed ut expellat. *arg. l. 2. §. 2. & 4. vi bon. rapt.* In his exemplis itaque non quidem constat de malitia, quod aliquid factum sit ad hoc, ut damnum detur, cum alij sint fines, adeoque dolus non est; sed constat saltem de proposito aliquid agendi, ex quo intelligebat agens damnum evenire forte posse: alias enim idem non praecaveret in suis, nec putaret alii gratiam ea in re fieri. Haec exempla magnae culpae, si pro rebus alienis supponantur res communes, erunt exempla culpae minoris, *per modo tradita.*

17. Negligentia est qualitas quaedam homini alicui naturalis & consueta, quae ipsi potius imputatur ad damnum, quod per eam contigit, resarciendum, quam alii. Dixi esse qualitatem naturalem, eadem ratione, ut dicitur in l. 7. §. 6. *Rec. arb.* Naturalem esse hominum ad dissentendum facilitatem: & in d. l. 2. *Naturale vitium esse, negligere, quod communiter possidetur*: denique in l. 24. §. 5. *Sol. matr.* *Naturalis scivitia, quam quis exercet in proprios servos.* nim. quia homini est ordinaria & consueta in propriis quoque rebus; non vero affectata aut arcessita



in alienis tantum. Solent enim leges quando volunt exprime-  
re, hominem negligere res alterius non animo deliberato, &  
data opera, sed ex consuetudine juxta genium & indolentiam  
suam naturalem & quotidianam, solent, inquam, dicere,  
quod eadem ratione agat in suis, quia id argumento est, eum  
ordinarie & quotidie ita agere solitum; non consilio male  
agendi hanc rem potius quam aliam, sed quia ita ejus fert in-  
doles ac natura: ita enim ipse Justinus in d. l. 24. Sol. matr. exin-  
de, quod maritus in proprios servos sit saevus, concludit, na-  
tura eum talem esse. Et recte; cum nemo possit videri ultra  
rem suam negligere, ideo tantum, ut negligat, aut sibi ob-  
esse, tantum ut oblit: vellet enim id, quod nec rationi nec  
sensibus congruit, adeoque vellet malum, quia tale: hoc au-  
tem implicat, quia id velle significat appetitum rei, quae con-  
gruit vel rationi vel sensui: sed & malum, utpote mera privatio,  
voluntatem movere non potest. Negligentia itaque haec, cui  
in suis quoque est assuetus homo, naturalis ipsi est, adeoque  
malitiam moralem in se non continet, estque extra delicti ac  
poenae rationem posita, quia non fit animo delinquendi. arg.  
l. 14. Sicar. §. 7. §. pen. Obl. qua ex del. & c. per tradita th. 4. & seqq.  
sed naturae vitio, quae alios inertes producit, alios expeditiores.  
Qua ratione autem imputetur, & in quo ejus vitiositas confi-  
stat, postea videbimus. Est autem vel magna vel non magna  
seu minor, arg. l. 226. V. S. Videamus de magna. Illa sc. est o-  
missio ejus diligentiae; quam communiter homines quicumque  
adhibent in suis. l. 213. l. 223. V. S. l. 9. §. 2. jur. ign. & varie no-  
minatur in legibus. Vid. D. Struv. 19. th. 18. Exempla ejus sunt:  
Si quis ramo in publicum dejecto aliquem interfecit. l. 7. Sicar.  
l. 31. Ad L. Aq. Si fidejussor, sciens reo non esse numeratam pe-  
cuniam solvat. l. 29. pr. Mand. Si idem, ubi solvit, non certio-  
ravit reum, & is quoque solvat. d. l. 29. §. 3. Si quis per lusum  
data opera jaculum in aliquem emittat, putans fore, ut non  
feriat, & feriat praeter opinionem. l. 9. fin. junct. l. 10. Ad L. Aq.  
Nemo autem nescit per publicum plures transire; reum ante  
pecuniam numeratam nihil debere; eumque soluturum, si ne-

sciat jam esse solutum : & deniq; jaculum emissum præter spem  
 posse ferire. Idem est , si quis publico res exponat, putans ne-  
 minem ablaturum. Si fenestras noctu apertas relinquat, quibus  
 de plano intrari potest : Si quis nesciat eum decoctorem esse,  
 quem princeps à populo eo nomine catamidiari & traduci in fo-  
 ro , vel amphitheatro iussit. *Spartian. de Constit. Adrian. loquens.*  
 De hac negligentia magna notandum, quòd pro vera culpa ha-  
 beatur *l. 226. V. S. ratio* ; quia ferè convenit cum culpa, quæ in  
 tali homine præsumitur. Nam præsumitur quod communiter a-  
 desse solet omnibus. *l. 9. Probat. Wesenbec. ad d. tit. num. 15. Obr.*  
*Disp. de Prob. neg. 100. & seqq. Gloss. & Dd. in c. 30. Sponsal. Sich.*  
*ad l. 23. Cod. prob. num. 10. argum. l. S. Q. met. ca. §. ultim. Nox.*  
*act.* Diligentia autem quæ per hanc culpam omittitur, omni-  
 bus adesse solet *d. l. 213. d. l. 223. d. l. §. 2.* Præsumitur ergò & huic  
 quoque, v. gr. Cajo, adesse. Si verò is eam omittat in alienis,  
 videtur omisisse eam diligentiam, quam in suis adhibet, aut ad-  
 hibere præsumitur ; & ita minùs diligens esse in alienis, quàm  
 suis : quo ipso in vera culpa constituitur. *per l. 32. Depof.* Uti  
 ergò culpa in alienis commissa dolo comparatur, ita & negli-  
 gentia magna. *l. 1. §. 5. O. A.* & uti illa in comunibus à dolo sepa-  
 rat, & pro levi culpa habetur, ita & hæc : *Vid. Affer. 3.* Scil.  
 propositum negligendi, quo culpa & negligentia magna ad dolum  
 accedunt proximè, exinde colligitur, quòd quis separat sua &  
 aliena, & hæc magis negligit. Eo ipso enim videtur satis intel-  
 ligere, negligentiam illam damnum afferre posse, quia ideò illam,  
 tanquam noxiam, declinat à suis, quod non faceret, si putaret,  
 nullum ex tali negligentia damnum nasci posse. Hoc autem pro-  
 positum eâ ratione non potest elici, si communia negligentius cu-  
 rat, quàm propria : tunc enim non videtur intelligere, damnum  
 ex illa negligentia oriturum ; aliàs enim averteret etiam à rebus  
 communibus, quæ ex parte sunt propriæ : in quibus proinde con-  
 trarium præsumitur, quia nemo videtur suum jactare, & sibi ob-  
 esse : cùm tamen adhuc differentiam aliquam faciat inter res  
 merè proprias, & communes, videtur aliquid propositi superes-  
 se, negligendi potius communia, quàm propria ; quod tamen ob-

ob causam gerendi, quam habet ob partem suam, non tam proposito, (quod nec in rebus communibus, ut dictum, praesumitur) quam naturali negligentia, quae pro levi culpa est, factum praesumitur, ut habetur *in l. 2. C. Q. & quib. quart.* Et ergo culpa, & negligentia magna in rebus alienis pro dolo habentur, in communibus pro levi culpa. Minor negligentia aestimatur ex natura diligentiae, cui opponitur, & cuius est omissio; & haec negligentia demum illa est, quae saepius nomine diligentiae in iure venit. *l. 23. R. f. l. 5. §. 2. §. fin. l. 18. pr. Commod. l. 17. pr. jur. dot. &c.* quia soli contractus, in quibus haec species praestatur, amplius aliquid vindicant quam propositum laedendi aut negligendi, & sc. praeterea diligentiam quoque requirunt, etiam si illa diligentia sit ultra modum, quo solent suas res curare, adedque ad diligentiam tenentur exactam, et si natura tali diligentia non sint instructi, sed in suis quoque negligentiores; ut proinde hic vel ad aequam exactam, vel ad exactiorem etiam diligentiam adstringantur in rebus alterius, quam propriis. Duo autem huius negligentiae sunt gradus: media & minima. Negligentia media est omissio diligentiae exactae, quae aestimatur ex modo, quo patresfam. solent communiter res suas gerere: cum enim quis patresfam. censeatur probe res suas curare, & prospicere, ne damnum in iis contingat, hinc diligentia media exigitur ad eum modum, quem patresfam. suis adhibere solent, ut sc. aliquis eandem curam gerat, quam patresfam. seu ipse, ut patresfam. suis adhibere consuevit. *l. 17. pr. jur. dot. l. 1. pr. Tut. & rat. l. fin. C. pact. conv.* cum tamen non semper patresfam. sint homines frugi ac diligentes, hinc saepius addi solet, quod diligentia requiratur talis, qualem diligentes patresfam. & homines frugi in suis praestant. *l. 14. pign. act. l. 10. Adm. tut. l. 35. §. 4. contr. emt. l. 31. Ad L. Aq. l. 25. §. 16. Fam. erc. l. 11. Per. rei vend.* Exempla huius negligentiae (quae, quando praestanda, culpa levis dicitur) sunt *in l. 31. Ad L. Aq. l. 11. Per. rei vend. &c.* & quicquid eorum omittitur, quae boni patresf. facere solent. Hinc cum illi soleant providere, ut aedes contra pluvias ordinarias sint munitae, ut fenestrae, etiam altiores, contra fures noctu sint clausae, &c. si quid eorum omittatur,

tatur,

carer, & res aliqua ex hac causa corrumpatur, aut pereat, ad hanc speciem pertinet. Negligentia minima est ommissio diligentiae exactissimæ, quæ continetur omnis diligentia, quæ ab humana prudentia expectari potest, aded ut, si quis in suis admodum sit diligens, non sufficiat illa diligentia, si alius diligentior esse potuerit. *l. 1. §. 4. O. A. §. 2. Q. m. r. c. §. 1. obl. q. q. ex contr.* Quando præstatur, dicitur culpa levissima. *l. 44. Ad L. Aq.* Ita v. g. etsi diligens pater fenestras noctu claudit, si tamen per eas, quæ sunt versus publicum, & periculosiores, intrat fur, non caret levissimâ culpâ, quia alius diligentior, quod periculosiores essent, clathris eas munivisset. *arg. dd. ll.* De hac jam specie, sc. negligentia simplice, quæritur, qua in re vitiositas ipsius consistat? cum autem maxima negligentia pro culpa habeatur; quæstio de reliquis potius intelligitur. Nim. Hæc negligentia non est culpa simpliciter, ut dictum, quia non fit ex proæresi; sed habetur pro culpa comparatè, quia magis in culpa est, cujus negligentia res perit, quàm alter, cui minus, aut planè nihil imputari potest. Sc. damnum in re mea, quæ apud alium est, contigit; illud aut mihi ferendum est, aut ab altero illo resarciendum; cum enim jam contigerit, non potest id infectum fieri; aut ergo alter restituit mihi illud damnum in re mea, aut, si minus, ego illud ferre cogor; quæritur, utrum æquius, & cui potius damnum illud imputandum; cum neuter aliquid ex proposito, seu veram culpam commiserit? Videtur initio dicendum; Ei id imputandum potius, cujus negligentia res perit, quàm mihi, qui nihil feci; cum desidia alterius mihi damnosa esse non debeat. *l. 3. pr. Transact. l. 26. §. fin. Nox. act. l. 65. Evict.* & ipsi præterea imputari possit, quod talem negligentiam contraxerit, *quam intelligit, aut intelligere debet, alijs periculosam fore. l. 8. §. 1. Ad L. Aq.* Rursus, non deest, quod mihi quoque imputetur; sc. quod negligenti homini rem commiserim. *l. 72. Pro soc. §. fin. eod. §. pen. Q. m. r. c.* cum contra excusandus videatur, qui tantundem præstitit in re aliena, (in qua merum officium custodiae alteri præstat, & nihil commodi habet,) ac propria; cum officium ipsi damnosum esse non debeat. *l. 7. Test. q. ap.*

Cum

Cum ergo hæ duæ rationes collidant, unaquæque earum suis limitibus est includenda, & definiendum, quousque singulae valeant. Prima itaque ratio, quod alteri imputetur sua negligentia, tunc valet, quando negotium non meum, sed alterius, apud quem res fuit, gratia contractum est; ut si alicui rem meam commoda verim: tunc enim mihi nihil imputari potest, quia non meum, sed alterius gratia celebratus est contractus, ut huic gratificer & officium præstem, non vero ut mihi aliquid acquiram; nemini autem officium suum imputari potest, (cum illud laude dignum sit) nec damnosum ei esse debet. *l. 61. §. 5. Furt. l. 7. Test. q. ap. ac proinde hoc demum casu obtinet prima ratio: ut sc. illi potius culpa sua damnosa sit, cujus causa contrahitur. d. l. 61. §. 5.* cum enim mihi nihil imputari possit, alteri autem merito imputetur, quod negligentia ipsius res perierit, hinc sanè ille potius damni culpam præstat, quam ego. Altera contra ratio, scil. mihi imputari posse, quod negligentia homini rem commiserim, tunc vera est, quando meum causa contractus initus est; uti in deposito, si rem meam alii custodiendam dederim: cum enim illo casu res mea agatur, mihi quoque circumspiciendum fuit, ut res satis securè, & sub hominis satis diligentis & fidelis custodia asservetur; quod si enim ipse rei meæ non satis prospexero, est sanè, quod mihi imputem. Alteri autem nihil imputari potest, cum nullum in ipso sit propositum negligendi, adeoque ipse extra culpam veram: de cætero autem iniquum est majorem diligentiam ab ipso exigere in re aliena, ex qua nullam utilitatem capit, quam in re propria; cum enim ipse hoc casu quoque sit officij solum debitor, & alteri tantum gratificari, & officium custodiæ præstare voluerit, illud officium ipsi damnosum esse non debet. *d. l. 61. §. 5. d. l. 7.* Hinc verò convenienter colligitur, quid præstandum, si utriusque causa contrahitur, & utilitas est communis, ut in pignore, emto, locato, dote &c. Alteri igitur imputari potest, quod negligentia ipsius res perierit, quæ mihi damnosa esse non debet. *d. l. 3. d. l. 26. d. l. 65.* nec verò jam ipse officium præstat, sed ipsius quoque causa contrahitur; adeoque ad diligentiam tenetur, *per tradita.*

F

potest,

potest, quod, si diligentiam omnem non præstiterit alter, homi-  
ni minus diligenti ( nam supponimus hic semper, eum æquè ne-  
gligentem esse in propriis; si enim in suis est diligentior, non  
simplicem negligentiam committit, sed veram culpam, cui pro-  
positum inest ) rem commiserim: nam nec ipse officium jam  
præsto, sed meam quoque rem ago, ut mihi meritò imputem,  
si non rei meæ quàm optimè prospexero, ac non hominem fide-  
lissimum & diligentissimum elegero, cum quo de re mea con-  
traherem, *per tradita*. Mihi ergo imputo, si alter ille non sit  
diligentissimus, nec exactissimà diligentia rem curet; ac proinde  
is levissimam culpam non præstat, illa enim mihi imputatur.  
Ipsi verò imputo, quod in contractu, qui ipsius quoq; gratia factus  
est, planè diligentiam non adhibuerit, & sc. ne minorem qui-  
dem; ac proinde levem saltem præstat culpam. Cæterùm, hoc  
imputare socio non possum, quia is jus & causam gerendi ha-  
bet propter partem suam. *l. 25. §. 16. Fam. etc.* cùm ergo is jure  
curet partem suam, non possum eum ad certam diligentiam,  
& ad majorem, quàm suis rebus adhibet, adstringere in re,  
quam jure suæ partis gerit: Mihi ergo imputo, quod diligen-  
tiores socium non elegerim. *l. 72. Pro soc. §. fin. eod.* Hactenus  
rationes illæ limitatæ sunt per utilitatem, quam singuli ex con-  
tractu capiunt. Porro autem limitantur ex utriusque intentio-  
ne saltem tacita: Fallit enim ulteriùs ratio posterior, quod mi-  
hi imputem, si negligenti negotium commiserim, eo casu, quo  
rei meæ administrationem alter suscipit. Suscipiendo enim ad-  
ministrationem rerum alterius, suscipit ac promittit omne id,  
quod per diligentiam ac industriam expediri potest: quippe ad-  
ministratio fit per diligentiam, & si vel minimum omittat, aut  
negligat, non jam administrat: non enim gerit vel administrat,  
qui negligit. *arg. l. 7. §. 3. Pro emt. l. 60. fin. Mand. l. 28. §. 2. Pact.*  
nihilque in alterius rebus gerendis declinatum culpa vacuum est.  
*l. 21. l. 11. l. 13. C. mand. l. 24. C. usur.* Qui igitur administratorem  
se seu procuratorem negotiorum alterius proficitur, omnem di-  
ligentiam promittit, quæ administratio perfici potest: uti eadem  
ratione depositarius, etsi aliàs dolum tantùm præstet, culpam ta-  
men

men omnem præstat, si deposito se offert. *l. 1. §. 35. Depos.* quia  
 se offerendo omnem diligentiam promittit, quæ res custodiri  
 potest. Et conductor, in quo aliàs levis tantum culpa vin-  
 dicatur, præstat quoque levissimam, si rem aliquam transpor-  
 tandam conduxit. *l. 25. §. 7. Locat.* quia dum offert & profitetur  
 talem operam, offert & promittit omne id, quod per talem  
 operam expediri potest. Eadem ratio in eo, qui profitetur rei  
 alicujus peritiam, nam & is omne id pollicetur, quod per peri-  
 tiam fieri potest, adeoque culpà fit, quicquid per imperitiam  
 fit. *l. 132. B. l. l. §. 1. l. 27. §. 29. Ad L. Aq. §. 7. eod. l. 9. §. 5. l. 60. §. 4.*  
*Locat. l. 13. §. 5. eod.* item, quod per infirmitatem fit, in eo qui  
 aptitudinem profitetur. *l. 9. fin. Ad L. Aq.* Unde patet, frivolum  
 esse, quod imperitia levi culpæ annumerari vulgò dicitur. Est  
 enim culpa simpliciter, & quicquid per eam fit, absolutè vin-  
 dicatur. Igitur his casibus alter solus sibi imputat, quicquid  
 negligitur; quia omne, quod fieri potest, promisit & professus est,  
 adeoque si minus est aptus ipsius culpa est, quod suscepit, & alium,  
 diligentiorum fortè, contemplatione sui abstinuit. *arg. l. 6. §. 12.*  
*Neg. gest. §. 1. obl. q. q. ex contr.* Quid enim obstat meis commodis?  
 Recedat de medio; per alium transigam. *Cic. pro Rosc.* Mihi  
 ergo nihil imputari potest, qui fidem industriæ, quam professus  
 est & præ se tulit, secutus sum. *arg. l. 6 §. 6. His qui not.* Hæc igitur  
 ratio obtinet, quando negotia quædam sunt gerenda, quæ  
 varia sunt & indefinita, ac proinde circumspectam industriam  
 requirunt qua ratione geri debent, adeoque ratio utilitatis in iis  
 non attenditur. Si ergo non negotia, sed actus tantum simplex  
 ac suâ naturâ definitus alicui expediendus injungitur, v. g. ut fide-  
 jubeat, custodiat rem, emat &c. non statim is, qui suscipit, profi-  
 tetur diligentiam, cum actus ille non consistat administrationis  
 var etate, quæ indefinitam habeat gerendi rationem, atque adeo  
 circumspectam requirat diligentiam, quæ ratione melius expe-  
 diatur; sed profitetur tantum bonam fidem & aptitudinem ad  
 actum illum perficiendum, qui, ut dictum, simplicem, certam ac  
 definitam habet gerendi rationem, quæ à quovis facillè cogno-  
 scitur; ut eum suscipere quis possit, etsi non profiteatur singula-  
 rem



rem aliquam industriam ( excepto tamen, si ipse se offerat, & eo ipso amplio rem curam polliceri videatur *l. 1. §. 35. Dep.* ) Et ergo is præstat tantum latam culpam; ut in mandato *l. 8. §. fin. l. 9. l. 10. pr. Mand. tutela l. 7. §. 2. Adm. tut.* Nec obstat quod custodia quoque in commodato præstetur. *l. 5. §. Commod.* Nam illa custodia non simplex est, sed tum varia in se, tum conjuncta cum varietate negotiorum. Ita in socio cessat quoque ratio illa, quia non potest videri profiteri vel offerre industriam, qui jure suo gerit, sc. jure suæ partis, unde & cessat neg. gestis actio. *l. 25. §. 16. Fam. erg.* Cessat item in tutore, qui sese non offert, sed officii publici necessitate tenetur; qui tamen plus præstat, quam latam culpam, etsi solius pupilli causâ tutor sit, quia aliâs pupillo parum consultum foret. *l. 10. Adm. tut. &c.*

18. Et tantum de speciebus negligentiae simplicis, eique oppositæ diligentiae. Negligentia igitur naturalis verè delictum & culpa non est, quia non adest animus delinquendi, sed tunc demum, quando alicui imputatur, culpæ rationem induit. Ubi tamen notandum, negligentiam in hac culparum materia tantum exempli loco referri; nec per eam solam uni potius quam alii aliquid imputari, aut culpam committi. Nam & alia sunt vitia naturalia, quæ etiam delictum quidem & culpa non sunt, adeoque nec ex se pœnam merentur, eadem tamen ratione, quâ negligentia, dum alicui imputantur, culpæ rationem adsumunt; Ita non tantum negligentia sæpius excusatur, *l. 3. §. fin. susp. tut. l. 22. §. 3. Ad Treb. l. 72. Pro soc. §. fin. eod. §. pen. Q. m. r. c. sed & rusticitas. l. 1. §. fin. ventr. insp. l. 2. fin. jur. fisc. l. 1. §. fin. Edend. simplicitas. l. 1. pr. Dol. mal. d. l. 3. fin. Imprudentia l. 52. §. 3. Pro soc. Imperitia. l. 3. §. 22. Ad Silan. l. 7. §. 4. jurisd. sævitia & c. arg. l. 6. voc. nimia. Ad L. Aq. eadem scil. ratione, quia sunt vitia naturalia, quæ non continent animum delinquendi. arg. l. 24. §. 2. Damn. inf.* Rursus, uti negligentia sæpe imputatur alicui, ut is potius damnum præstet, quam alter, & hoc pacto culpæ naturam adsciscit; ita eadem ratione alia vitia naturæ sæpius imputantur, & committitur per ea culpa quædam: cui applicari debent convenienter quæ hæcenus de negligentia diximus. Tale vitium est v. g. sævitia. *l. 5. §. fin.*



§. fin. l. 6. Ad L. Aq. l. 24. §. 5. sol. matr. Quodsi enim dominus v. g.  
 non eadem servitiâ tractet servos proprios quàm alienos, sed hõs  
 durius, adest propositum læviendi, adeòque vera culpa com-  
 mittitur. d. l. 24 §. 5. quæ in alienis magna est, & dolo æquipara-  
 tur, in communibus minor. per tradita th. 16. Si eadem servitiâ  
 suos quoque tractet, naturalis est lævitia. d. l. 24. §. 5. verb. si verò  
 & in suos, est naturâ talis, quæ, si sit nimia & immoderata, lata  
 culpa est, adeòq; & illa annumeratur dolo & omnino vindicatur.  
 d. l. 5. d. l. 6. d. l. 24. media autem & minima lævitia non vindica-  
 tur in magistro, vel domino, quia jus aliquod castigandi ipsis  
 competit, & modica iis castigatio permessa est. d. l. 5. fin. arg. d. l. 24.  
 Ita vera culpa per gratiam committitur. l. 7 §. 2. Adm. tut. l. 8. fin. Mand.  
 adest enim propositum gratificandi (quia intelligit alteri gratiam  
 fieri, adeòque alii damnosum esse posse) non lædendi, quia non  
 agit, ut lædat, sed ut gratiam faciat. arg. l. 2. §. 24. Vi bon. rapt.  
 Sic omnis generis culpa committi potest, uti per negligentiam,  
 ita per Imperitiam, l. 223. R. I. l. 9. §. 5. l. 13. §. 5. l. 60. §. 4. Locat. l. 8. §. 1.  
 Ad L. Aq. §. 7. eod. Errorem seu ignorantiam. l. 32. Cond. & dem. l.  
 pen. C. his qui sib. adscr. Ineptiam. l. 3. §. fin. Susp. tut. Inertiam d. l. 3.  
 Simpliciter ac rusticitatem, d. l. Incuriam. l. 64. pr. Eviçt. Im-  
 prudentiam d. l. 32. & c. Quæ, si nimia sunt, latæ culpæ, ac proin-  
 de dolo accensentur, quod & fit, si cum proposito sunt conjun-  
 cta, & veræ culpæ rationem habent. per th. 16. 17. Si modica, vel  
 minima præstantur, (uti negligentia media vel minima,) prout u-  
 nius vel utriusque gratiâ contractum est, & ita hic applicanda  
 ratio l. 5. §. 2. Commod. Si autem is, qui commisit talia vitia, con-  
 trarium profiteatur, obtinet ratio, quam in administratoribus  
 dedimus, ut culpa quoque præstetur ac imputetur levissima l. 21.  
 C. mand. uti si profiteatur in modò allatis, peritiam, operam, sci-  
 entiam, aptitudinem, artem, promptitudinem, curam, pruden-  
 tiam & c. quibus proinde omnibus applicandæ sunt convenien-  
 ter rationes & exceptiones circa negligentiam traditæ. Uti & pro  
 cuiusque conditione contractibus innominatis. l. 10. §. 1. Comm.  
 l. 17. §. 1. 2. P. V. Legatis & fideicommissis l. 108. §. 12. l. 47. §. pen. leg. 1.  
 l. 22. §. 3. Ad Treb.



19. Casus fortuitus est id, quod accidit imprudentibus. *l. 52. §. 3. Pro soc. de quo nihil est, quod notemus specialius, nisi hoc: quoddam sub casu contineatur omne id, quod nemini imputatur: ut, si depositarius valde negligens ideo perdat rem, quia mediam aut exactissimam diligentiam omisit; is enim casu eam perdidit. l. 22. §. 3. Ad Treb. quia ipsi non imputatur, cum diligentiam non præstet. Idque ex eo patet, quod casus imprudentibus dicitur accidere, d. l. 52. §. 3. cum autem quædam imprudentia culpæ imputetur l. 32. Cond. & dem. l. 3. §. fin. Susp. tut. adedque ad culpam, non casum tunc pertineat, patet, intelligi in d. l. 52. §. 3. imprudentiam quæ nemini imputatur; quæcunque ergo imprudentia non imputatur in aliquo negotio, etsi alibi imputetur, & pro culpa sit, ad casum pertinet. Et hinc fit, quoddam casus opponatur aliquando culpæ quoque lætæ, ut in d. l. 22. §. 3. Ad Treb. quia sc. levis & levissima ibi non imputantur: aliquando levi, eadem ratione. §. fin. Q. m. r. c. l. 13. §. 1. Pign. act. Fortuito enim fit, quod nemini vel per naturam vel per leges imputari potest. arg. l. 5. C. peric. tut. verb. justæ ignorantis ratione non didicisti. junct. verb. periculo non teneberis. l. 2. Term. mot. verb. si per ignorantiam aut fortuito lapides furati sunt, sufficet eos verberibus decidere. §. 10. Mand. l. 29. §. 2. arg. l. 57. eod. §. 35. Act. in quibus justa ignorantia est pro casu fortuito; cui consentit Arist. 5. Eth. 10. qui improvisos casus ait esse, tum quibus resistere non possumus, tum quibus non tenemur. Et sanè cum improvisus casus tunc demum accidat, quando quis nescivit eum eventurum, (si enim scivit seu prævidit, non erit improvisus) casu nihil videbitur factum, nisi quod sit præcedente consilio, adedque vel dolo vel culpâ verâ: quia tunc demum præcedit scientia, si præcedat deliberatio, quæ sine scientia & intellectu esse non potest, per th. 4. Et ergo, si quis prævidit, & non avertit, cum potuerit, proposito ejus contingit, adedque non casu. Unde sequitur, si proposito non contingit, nec scientiâ ejus contingisse, quæ propositum inducit. Nisi tamen scientiam leges requirant; tunc enim ignorantia pro culpa habetur: tunc, inquam, & non aliter; adedq; reliquis omnibus casibus manet quoddam ignorantia seu imprudentia sit casus fortuitus, per d. l. 52. §. 3. etsi provideri ab alio, prudentiore fortè, potuerit. Add. Struv. 21. th. 30. & seqq.*

20. Hinc

20. Hinc jam quisque ultro facile colliget, quid in singulis præstandum: Ut *ὅς ἐν λόγῳ* dicamus. Dolus præstat in omnibus contractibus, aded ut nec pacto effici possit, ne præstetur. *l. 5. §. 2. Commod. l. 1. §. 7. Depos. l. 23. R. l. l. 36. V. O. l. 27. §. 3. Pact.* tum quia invitatur ad delinquendum sublato metu pœnæ. *d. l. 27. §. 4.* estque contra mores. *d. l. 1. §. 7.* tum quia non est res privata, aut in bonis nostris, quod solum pacto remittere, aut acquirere possumus. *d. l. 27. §. 4. vers. & in summa.* quæ rationes omnes cessant in dolo præterito: tunc enim de pœna pecuniaria tantum agitur. *d. §. 4.* Pro dolo habentur culpa & lata negligentia, si in alienis committantur. *l. 1. §. 2. si is qui test. l. 1. §. 5. O. A. l. 29. pr. Mand. l. 7. §. 1. Susp. tut. l. 8. §. 3. Precar. l. 32. Dep. l. 226. V. S. l. 5. §. 15. ut in poss. leg.* etsi dicatur, dolum præstari solum, tantum &c. *d. l. 23. d. l. 1. §. 5. d. l. 1. §. 3. si is qui. l. 1. si mens. fal. mod. l. 3. §. 1. Naut. caup. d. l. 5. §. 2. l. 1. C. l. 1. §. ult. ff. Dep. l. 8. §. 3. Prec. l. 180. §. 12. leg. 1.* Secus verò, si in communibus: tunc enim hoc effectu pro levi culpa habetur, & non ut dolus, sed ut culpa levis punitur: *Vid. Asert. 3. & ib. 16. 17.* Effectus doli sunt 1. Ut pro possessione sit: *l. 130. l. 150. R. l. &c.* 2. Ut, si cum pluribus agatur, singuli in solidum ex suo dolo teneantur, quod secus in culpa. *l. 7. Mag. conv. 3.* Recipit jusj. in litem in infinitum. *l. 2. §. 1. l. 4. §. fin. l. 5. §. 3. in lit. jur.* 4. Videatur casus. *l. 13. pr. lib. ca.* qui effectus cessant hoc casu in culpa & lata negligentia; non autem cessant reliquis casibus, seu in alienis, tunc enim ut dolus puniuntur, *per jam dicta.* Contra, casus fortuitus in nullo negotio præstat, nisi quis eum receperit. *l. 6. C. pign. act. l. 7. §. 17. Pact. l. 1. §. 35. Depos. l. 1. C. commod. &c. add. Struv. d. l. 1b. 43. & seq.* Negligentia præstat, adeoq; diligentia exigitur: Media 1. In emto 2. Locato. 3. Pignore. 4. Dote. 5. Tutela. *l. 23. R. l.* 6. Rerum permutatione. *l. 2. Rer. perm. Maxima, seu negligentia minima 1. In com- modato l. 5. §. 2. Commod. 2. Mandato. l. 21. C. mand. 3. Negotiis gestis. §. 1. obl. q. q. ex cont. 4. Edicto. Naut. caup. l. 3. §. 1. d. t.* In quibus autem negotiis culpa magna dolo æquiparetur: & quid in singulis præstandum, alia disputatione videbimus.

Decas

Decas II. Coroll. ex l. 1. §. 3. J. J.

1. Jus natura nullum fuit ante societatem humanam.
2. Ea autem posita necesse quoque fuit poni jura & attributa, qua societati illi conveniunt.
3. Voluntas divina, uti est causa ejus juris, ita & regula & norma.
4. Omne jus initio fuit voluntatis respectu Dei: & vel expressa sanctione constitutum, vel voluntate tacita, seu consequente societatem.
5. Solum cultus divinus excipitur, qui ipsi Deo, coactus est.
6. Non magis Deus potest dispensare de jure natura, quam de immutabilitate voluntatis suae.
7. Si vero jubet casum contrarium generali societatis regula, apparet ex post-facto, eum casum nunquam ad jus natura pertinuisse.
8. Non ergo est dispensatio de jure, cum jus nunquam fuerit.
9. Quaedam jura necessario consequuntur societatem, adeo ut sine iis societas esse non possit; quaedam exigente utilitate communi.
10. Quorum tamen inde augetur obligatio, quod expressa quoque sanctione Noachidis tradita, inde per manus ad omnes posteros transmissa videntur.

---

Dum culpis animum, mentemque erroribus arces,  
Quam sacer exagitat Numine corda furor?  
Lungis vera bonis, mentes exute profanas,  
Sic meliore tumes pectora plena Deo.  
Dant alij, haut retinent ipsi moderamina culpa;  
Tradere te culpa non dare jura jubat.

Hicce pereximii Dn. Respondeatis, conterranei, amici  
egregiis conatibus applaudere voluit PRÆSES.

---

Continuas culpa captam cum laude, Nageli,  
Materiem; Laudes & tibi culpa feret.  
Res sane hac mira est; à culpis ducere laudes;  
Culposos alios reddere culpa solet.  
Contra laudatum reddit te culpa, Nageli;  
A culpis summus, dum tibi, surgit honor.  
Vis certe fortis, naturam vertere culpa,  
Ut jam laudandum reddere culpa queat.  
Sed nil sit miri; Vis est fortissima CLAVI,  
Vertere naturam Vis Violenta potest.  
Vis hac ingenium est; MatVra InDVstrIa CLAVV's,  
Culpa instrumentis his Variata tuis.  
His perge, objectos juris pererrumpere nodos,  
Et tibi mox planum sponte patebit iter.  
Sponte patebit iter, dicti moderamine clavi,  
Ut penetrat culpas, sic quoque plura potest.

Ita alludens applaudebat  
Adolphus Henricus Linde, VVestph. Juris St.  
F I N I S.

Kd 2246

ULB Halle  
002 800 578

3




5b.

M. S. VD 17







ITATIO JURIDICA  
ESTATIONE DOLI  
ET NEGLIGENTIAE IN  
TIBUS : UBI NOVA SENTEN-  
TIA DICITUR ET DEMONSTRATUR.

*Quam*  
*Summa & Celeberrima Electoralis*  
*Palatina*

SUB PRASIDIO  
*Nobilissimi, Consultissimi,*

NRICI COCCEII  
in Laudata jam Univerfitate  
turae & Gentium Prof. Publ.  
sui nunquam non observandi.

*ico Eruditorum Examini submittit*  
DVS NAGEL, Brem.

*id Diem Julij H.L. 2.3.*

HEIDELBERGÆ,  
LHELMI WALTERI,  
cad. Typogr. MDCLXXII.

